





1
6
154














[redacted] J.V.D. [redacted]
[redacted]

VIII
GAUR

LVCAE GAVRICI
GEOPHONENSIS
EPISCOPI

TRACTATVS DE OCIO LIBERALI.

Cui annectitur Aureus Liber de Illustrium
Poetarum Auctoritatibus.







ROMAE

Apud Valerium, & Aloysium Doricos fratres.

M D LVII.

ILLVSTRISS. ATQVE REVERENDISS.
CARDINALI D. TIBERIO CRISPO

GAVRICVS EPISCOPVS
fœlicitatem.

Ocia grata uiris generoſis libera tractat
Hic liber, & cœcinit melliflua carmina Vatum.
Quem mox cardinei cœtus digniſſime princeps
Gauricus inſcripſit merito tibi CRISPE TIBERI
Gloria Romuleæ ſtirpis, cui rector Olympi
Summos contribuet faſces, uiridemq; ſenectam.

IOANNIS BAPTISTAE GABII
Veronenſis Carmen.

Hoc opus in lucem uenit ſub nomine Criſpi,
Qui nunc Romani eſt gloria prima ſoli.
Hoc tibi ſe munus, cuncti debere fatentur
Criſpe decus noſtri temporis eximium.
Cui tot ob egregias uirtutes fauſta præcari
Haud ceſſant, uotis ut potiare tuis.

ILLVSTRISS. ATQVE REVERENDISS.
Pontificem Card. D. Dominum TIBERIVM CRISPVM.

LVCAS GAVRICVS GEOPHONENSIS EPISCOPVS
Te saluere iubet fœlicem, ac ducere uitam.



APVD VETERES SCRIPTORES illos ægregios, qui in singulis disciplinis maximè floruerunt, Tiberi Crispe Cardinalis Amplissimè, morem hunc fuisse legimus, ne uel abuti ocio inerti uiderentur, uel sine aliqua nominis gloria ab hac mundi uita discederent, sed inter mortuos uiuerent, protinus ad scribēdum aliquid posteris profuturum sese totis uiribus applicuisse, rerumq; naturalium causas aperuisse. Huiusmodi gloriosa institutio eatenus uidetur esse maiori laudum præconio concelebranda, quatenus eterna animi bona caducis fortunæ muneribus antecellunt, atq; perēniter durant, Opes enim, Honores, Magistratus, Dignitates, Imperia, & Quæcunq; sunt generis eiusdem fomenta, citissimè effluunt, ac pœnitus momento temporis euanescunt, & in nihilum rediguntur, quum illis fortuna uolubilis, inconstans, fragilis, perfida, lugubris prædominetur, atq; omnem sibi uendicet prærogatiuam, compertum utiq; habetur quatenus ut plurimum per fas, & nefas a tyrannis principibus, prædonibus, militum rapinis, seruorum expilationibus, atq; pyratarum incursionibus uiolenter auferri possint. Verum enimuero in celeberrimas, atq; perennes animi dotes, quæ ab huberrimo septem liberalium disciplinarum fonte semper ema-

nare consueuerunt, et quotidie effluũt, neq; Fortunæ uolubilis temeritas, neq; Hostium furor, neq; Tyrannorum rapacitas, atq; audacia, neq; Temporis ædacitas imperium exercent. Tanto igitur uehementiori, atq; flagrantiori auiditate huiusmodi (ut diximus) perennes genij dotes perdiscere quisq; deberet, quanto uera & habentur, & sunt potiores, atq; prætiosiores, quàm bona externa, & corporis dotes fluida, atq; pœnitus momentanea. Nihilosecius in numero Deorum immortalium connumerari, atq; dici poterit

bis terq;, quaterq; beatus.

Fœlix cui constant bona corporis, & bona mentis,

Nec sint fortunæ munera parca Deæ.

Præenarratis igitur de causis, quamplurimi scientiarum cupiditate allecti confestim pili, flocciq; fecerunt singulas opes, etiam affluentissimas, honorum insignia, dignitates, magistratus, & reliqua eiuscemodi bona externa (quæ ab imperita multitudine, falso æquidem arbitratu, atq; iudicio, & laudantur, & magnipenduntur) contenti dumtaxat illis suauissimis animi illecebris, quæ non umbram uirtutis eternæ, sed ueram, atq; satis expressam pariant, nedum ostendant fœlicitatem. Ego etiam ijsdem ueræ fœlicitatis persæpe titillationibus, atq; stimulis excitatus, ommissis paulisper Philosophiæ, Mathematicarumq; disciplinarum studijs, ad scribendum aliquid de ocio liberali, oratione pedestri me contuli, in quo scribendi stilo, & si non quantum pleriq; alij scriptores gloriam sunt consequuti, saltem ego aliquantisper laudis assequerer. Nam ueluti noster Venusinus Poeta eleganter in Epistolis cecinit,

Est aliquid prodire tenus, si non datur ultra.

Ab conciliata inter nos mutua Amoris beneuolentia, sedente in Petri

Cathedra Diuo Paulo tertio Pontifice Sacratissimo, Optimo, Maximo, Augustissimo, atq; Doctissimo, Hosce de ocio liberali libellos uolanti calamo æditos, in præsentia tuo nomini amplissimo nuncupatos, Typographo excudendos, promulgare nõ dubitauimus. Quos certe quanta celeritate perscripserim, atq; perfecerim, uix crederes, nisi interfuisses. Quippe qui, ita sum a natura institutus, ut neutiquam ad scribendum quidpiam me conferam, quod diu ante præposuissem, nisi crassa, & pingui (ut inquiunt) suffragante Minerua. Hasce autem nostras uigilias ad quem alium principem Mæcenatem munificentissimum, qui tam egregia Iouij corporis fabrica, atq; genij dotibus refulgeat, melius destinari debuissem, in mentem meam occurrere potuit nemo. Nam si tuæ stirpis antiquissimæ primeuam originem indagare quispiam uelit, dubio procul te unum ex clarissima Salustij Crispi Oratoris facundissimi familia oriundum profitebitur. Sin sanctissimos mores, & præclaras genij tui dotes, atq; Iouiam corporis fabricam perspexerit, nemini profecto te secundum fore dijudicare poterit. At si non alius quispiam tui similis forsitan reperiretur, ego teipsum ostenderem. Ac si quispiam in Ephæmeridibus paulisper exercitatus, uellet in tui Natalis schemate fœlicissimo seriem euoluere fati, procul dubio tibi ante obitum, cũ opibus affluctissimis multo maiores uaticinaretur honores.

DE OCIO LIBERALI
LIBER PRIMVS.

POMPONIVS GAVRICVS.



VVM ſæpenumero ad me ueniſſet Santes Palonus Mutinenſis Phyſicus, iampridem familiaris meus, uir quidem apprimè modeſtus, & ſatis eruditus, meq; ſolitarium, & de more cogitabundum comperiſſet, conſalutaſſetq; prius. Quid nam, inquiens, mi Gaurice agis? Das ne operam (uti aſſoles) alicui rei quæ ſit, & te, & memoratu digna? Cui ego, ubi plauſu quodam, alacriq; uultu exceptum reſalutaui, reſponſumq; dedi hoc. Nunc æquidem otioſus ſum, nec quid agam in præſentia mihi occurrit, neq; tamen tempus mihi otiumq; effluit incaſſum, quo nihil homini iucundius, neq; prætioſius, in hac mortali uita eſt a natura tributum. Externa enim ſunt quodammodo aliena, tempus uero (quo uiuimus) rerum naturalium, cauſas indagando dumtaxat noſtrum eſt, cuius iactura nulla profecto grauior, neq; pernitioſior cenſeri debet, quippe quod nunquam redimi poſſit.

Quum ſemel emiſſum uolat irreuocabile tempus.

SANTES.

Lætor admodum, mi Gaurice, quatenus in hunc ſermonem incidimus, qui non parum me excitauit, ut abs te pleraq; de ocio efflagitarem ſcitu, et cognitione digna, tum potiſſimum propter id quod de Scipione Africano in libris officiorum Cicero refert, ille enim de ſeipſo dicere ſolebat, nunquam ſe minus ocioſum eſſe, quam quum ocio-

ſus eſſet, neq; minus ſolum, quam quum ſolus eſſet. Hæc ſanè uerba uiri tam celebratiſſimi non paruam mihi in mente perplexitatem perſæpe ingeſſerũt, propter quandã quæ in his uerbis uidetur eſſe repugnantiam. Quam certe & per multa conſimilia comprobarẽ, niſi cum te eſſe cognoſcerem, qui non ſolum hoc, uerum etiam, & longe aliena per te ipſum exemplo percipias, & alijs facillime enucleas, quid enim nihil aliud agẽs, melius agere poteris, quàm ea de re diſſerendo inquirere, quam & ſequuti ſunt pleriq;, & contẽpſerunt quàmplurimi, adde ꝙ & mihi pergratum feceris, & multos ſemitam rectam ad uirtutes conſequendas facilè oſtentabis.

Si placet igitur, ne fortaſſe intemperanter abuti hoc ocio uideamur, quin potius aliquid utilitatis afferas. De iſthac eadem re inter nos, mutua inquiſitione, diſſeramus, & mihi interrogãti, quoad poteris, ſatiſfacere ſtudeas amabo. Ego autem ita aſſercionibus tuis adhærendo, fidemq; adhibebo perinde, ac ſi ab Apollinis Oraculo dictarentur.

POM. Duo ſunt ocij genera, quæ mihi nunc in mentem ſuccurrunt Santes mi Amicorum optime, alterum liberale, alterum uero illiberale, illud quoniam a uirtutis fonte huberrimo, atq; honeſtate proficiſcitur proſequi debemus, iſtud uero quãdoquidem ab ignauia quadam, atq; inerti deſidia procedit, omnino fugiendum erit, ut turpiſſimum, atq; dedecoroſum.

SAN. Optimum, & perenne abs te iactum eſt fundamentum, quippe ꝙ ab eo cœpiſti, a quo ritè fuerat exordiendum, unumquodq; enim nomen Analogum, ſiue æquiuocũ, quod non unicam, ſed plures habet ſignificationes primũ in ſuas partes diſtribui debet. Deinde quid unum quodq; eorum ſit certa ratione deſcribendum fore arbi-

tror, quemadmodum de acuto, quod de stilo, & uoce dicitur, facilè admodum percipi potest, & itidem de plerisq; alijs propemodum infinitis nominibus, ne forsan quod de uno asseritur, de altero etiam non recte quis arbitraretur, ut igitur omnis ambiguitas tollatur de medio, quoad poteris enucleacius quid sit utrumq; ocium, mihi in præsentia explicare te obsecro.

POM. Quod à me efflagitasti perficere conabor, & ab ocio illiberali exordiar, ut eo cognito, non secus, ac pestis quædam occulta, et sensim membra dissoluens, atq; enecans, effugiatur.

Huiuscemodi itaq; ocium nihil aliud est, quàm languidus quidam torpor, & inertia, atq; desidia ab omni honesta actione, ac uirtute prorsus aliena, uel ut breuius definiatur, uana procul dubio, & inutilis, atq; ignominiosa temporis iactura.

SAN. Enitere amabo, ut (quod nunc dixisti) clarius intelligatur, & qui nam sint illi qui huiuscemodi illiberali ocio tabescant, & ueluti languore quodam semetipsos eneruant, & pœnitus deturpant.

POM. Sunt, inquam, omnes qui serijs, arduis, honestisq; studijs omnino postergatis, atq; post habitis, dumtaxat somno, uentri, gulæ ingurgitationibus, crapulis, bibitionibus, luxui, uenereis uoluptatum illecebris, & cæteris corporeis fomentis indulgent, ueluti pecora, & sues immundi, nulla prorsus uirtute animum excellentes, nec de probitate, iustitia, & honestate rationem habentes, illamq; quorundam Græcorum legem, quæ in conuiuijs obseruabatur, usurpantes, aut bibat, aut abeat, et illorũ qui mentiuntur dicentes perperã.

Ede, bibe, lude, post mortem nulla uoluptas.

Horum quippe uitam usquequaq; sordidam, atq; profanam si dixeris, nihil

ris, nihil prorsus differre a brutis animalibus recte profecto dixeris, Istud enim prorsus irrationale genus hominum nulla prorsus uirtute redemptum, quum degat in terris more brutorum irrationabilium, merito animal irrationale nuncupari poterit, quum nihil aliud cogitet quam inertiæ, genioq; indulgere, & se totum corporeis uoluptatum illecebris adsciessere, atq; penitus mancipare, Nonne summus ille rerum Opifex Ouidij.

Pronaq; quum spectant animalia cætera terram
Os homini sublime dedit, cœlumq; uidere
Iussit, & erectos ad sidera tollere uultus.

Manilij Poetæ Romani lib. iiij.

An cuiquam genitos, nisi cœlo credere fas est
Esse homines? proiecta iaceret animalia cuncta
In terris, uel mersa uadis, uel in aere pendent,
Omnibus una quies, uenter, sensusq; per artus.

Illius autem ignari hominis, æquiuoce dicti, animus quum nulla prorsus ratione regatur, in corpore, tanquam insordido quodam domicilio, cenosoq; crepitaculo, atq; cloaca demersus inhabitat, & agitur, potiusq̃ agat, O stolidum pecus (si tali nomine hominem nuncupari fas sit) non hominum consuetudine, atq; familiaritate uti, sed in ferarum lustris, atq; nemoribus habitare dignum fore si quispiam dixerit, nihil profecto delirabit, a quo si imaginem illam hominis quam presefert abstuleris, quum in cæteris nihil differat a brutis, illum ueluti monstrum horrendum ingens pertimesceres.

SAN. Nihil expressius, abste nihilq; lucidius hac de re dici potuit, hominẽ quippe ignauum, ac pœnitus mortem, quam optime comprexisti, quantum arbitror nihil addi posse uideatur, uellem ta-

men ut propositum negotium exemplis aliquorum confirmare non dedigneris.

POM. *De Sardanapalo postremo Assyriorum Rege. Inter omnes propemodum scriptores conuenit quatenus fuerit mulierosus & mulieribus effeminatior, ac mollior. Ille enim in tantam corporis mollitiem atq; segnitiem animi seipsum profudit, ut sub uiri nomine, habitu tamen muliebri, molliter omnia & muliebriter ageret. Ad hunc salutandum (quum admitti egre & difficulter obtinuisset) Præfectus quidam, Medis præpositus, nomine ut inquiunt, Arbattus inuenit eum inter Meretricum scortorumq; greges purpuream stolam in collo gestãtem, et inter uirgines cœtumq; puellularum pensa trahentem, tantaq; lasciuia corporis & osculorum dulcedine captum & effeminatum, nam linguæ linguis iam mutua bella gerebant, adeo quidem ꝙ non regem aut uirum, sed feminam potius ceteras nitore corporis præcellentem, se uidisse mirum in modum admiraretur. Quo ueluti prodigio quodam uiso haud parum indignatus & in iram concitatus fuit, ꝙ tot uiri clarissimi arma tractantes & tam maxima populorum multitudo parerent, & subijcerentur uiro mulieroso lanam & purpuram deducenti. Confestim ad sotios regressus conuocataq; populi uniuersa caterua, quæcunq; conspexerat, illis retulit, affirmauitq; se neutiq̃; uelle obsequi neq; effeminati iussa capescere qui se feminã mallet esse quam uirum, facta igitur coniuratione bellum Sardanapalo indicitur. Quo audito non uti uirum ac regem decebat, regnum defensurus, sed metu quodam muliebri perterritus, latebras primo quæritauit.*

Deinde paululum pudore quodam compulsus cum paucis admodum eneruatis & effeminatis incompositisq; militibus tanquam omnino

ignarus rei militaris in duellum tremebundus progreditur, quumq; utrinq; manus conserere cœpissent, extemplo turpiter uictus atq; fugatus in regias ædes pene exanimis remigrauit, & tremulus constructa ingenti pyra, omni eius gaza primum in ignem conijecta, postremo ignauiæ suæ pœnas daturus, sese in incēdiū proiecit, tantum hac una in re unum imitatus, illius quoq; desidiam uoluptuosamq; ignauiam nulla prorsus turpitudine carentem illud chorebi elogium apertissime declarat, quod ita circunfertur,

Cum te mortalem noris, præsentibus exple
Delicijs Animum, post mortem nulla uoluptas
Nanq; ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam
Nec habeo quæ ædi, quæq; esaturata libido
Hausit, At illa manent multa & preclara relicta
Hoc sapiens uitæ mortalibus est documentum.

Quid igitur de Sardanapali morte dyudicas, nunquid laudanda?

SAN. Ego affirmare ausim ꝙ non eo mortis genere quo pleriq; magni & fortes uiri occubuere dignus erat, sed ignominiosissima atq; turpissima sed ut scatens uermibus uilium bestiolarum esca fieret, ut Cornelius Sylla pediculari morbo, & si preter crudelitatem uir preclarissimus fuerit, Quid enim languidius, aut abiectius inscribi aut dici potuit. Itidem & bestiæ de se dicerent modo loquendi potestatem eis natura tribuisset.

POM. Rectissime arbitraris, quali enim quis uita fruitur, tali dignus est morte defungi.

Ptolemæus iunior Aegyptiorum Rex defuncto patre mulierum, crapulæ uicijsq; auida cupiditate usq; adeo tenebatur ut quum sobrius ac

ſerijs rebus peragendis intentus eſſe debuiſſet, iubebat bacchanalia celebrari, ipſe timpanum manu geſtabat, atq; pulſabat, amicis in regiam Aulam accerſitis, uti bacchanalia ſimul ſolemniter concelebrarent. Summis uero negotijs regni adeo ampliſſimi adminiſtrandis Agathocliam Venerem ſuam, & matrem præfecerat.

O miſerum regnum, cuius Rex, aut mulierum conſilio, quod eſt inualidum, & futile, aut imperitorum, quod eſt in efficax, regitur. Peſſime profecto ſe habet res quum is qui alios regere, & gubernare deberet, totum ſe ab alijs regendum, atq; gubernandum permittit, & cuiuſq; aſſertioni, atq; ſuadere, ſeu perſuaſioni facile, ac temere credit, propterea homini data eſt ratio, ut eam ducem ſequatur, cunctisq; rebus adhibeat, quæ ſi in rebus omnibus uigere debet, in rectoribus, atq; principibus potiſſimum adhiberi deberet, ut quemadmodum præeſt cœteris poteſtate, ita præſit conſilio, & ratione.

Quis enim, ut in eodem perſiſtamus exemplo, indignum Ptolemæi facinus, atq; ſcœlus maximum nō culpet, atq; penitus damnet? Qui Photini rethoris inſani, ſed callidi perſuaſionibus impulſus, præſtantiſſimum illum Principem Magnum Pompeum (quo duce in regnum fuerat reſtitutus) poſt cladem Pharſaliam ad ſe confugientem, capite obtruncari iuſſit, & qui ſalutis protector eſſe debuiſſet, extitit interemptor crudeliſſimus. Nunc uero ad propoſitum inſtitutum noſtra conuertatur oratio. Audiuiſti igitur quantam ignominiam pariter, & iacturam afferat ſecum torpens & inane otium. Quod profecto, & ſi ab omnibus ſit maximopere contemnendum, atq; euitandum, multo tamen magis ab ijs qui alios poteſtate, atq; dignitate præcellunt.

SAN. Præclare admodum, atq; ſatis huberrime abs te dicta ſunt om

nia, uerum quum ita differeres, parũ profecto abfuit quin in cachinnum, atq; immoderatum risum prorumperem.

POM. Et quenam ineptia te irritabat?

SAN. Nescio, quo nam pacto subyt mihi in mentem, commemoratio illius, quod a Domiciano Cæsare factitatum fuisse, Tranquillus refert. Ille enim circiter initium sui principatus singulis diebus in secessum siue locum quendam secretum se ipsum includere solebat. Nec quicquam amplius per otium, quam muscas, aut capere, aut preacuto stilo prefigere, ut cuidam ex familiaribus, qui ad ipsum se contulerat, interrogante, esset ne quispiam intus cum Cæsare, non absurde per contemptum ab uno ex cubicularijs, nomine Metello, responsum fuerit, ne musca quidem. Quam igitur spem tam maximi Imperij optime administrandi de se polliceri poterat, qui adeo uili, adeoq; abijecta, nec pueris quidem digna, presentãda, oblectabatur. Nunc autem id quod ad rem attinet, perge amabo, & quantum poteris, huius ocij inertis, ut cœpisti, turpitudinẽ patefacias mihi te etiam, atq; etiam rogo, nihil enim auidius expecto, nec scire cupio.

POM. Videre uideor, Amicorum optime, plerosq; in tantam desidiam, atq; inertiam tum animi tum corporis sese obijecisse, ut non modo alijs, uerum ẽtiam sibimet ipsis odia fiant, nihil omnino agentes, nihilq; prorsus excogitantes, nisi de inertia, de somno, de ingluuie, deq; ceteris rebus ad corporis uoluptatem spectantibus, horum ego uitam cum suibus comparandam fore, satis recte crediderim. Quis enim infelicior est illo, qui quod superest æui e manibus (ut ita dixerim) prodigaliter abijcit, & quidem in uitæ dispendio. Peragunt aliquid semper quodammodo uniuersa fere animalia bruta, & a summo rerum opifice susceptum, atq; constitutum eis

munus perficere nituntur, solus autem homo cui omnipotens Deus Os sublime dedit, coelumq; tueri iussit, & erectos ad sidera tollere uultus, non ad inertiam atq; desidiam sed ad laborem natus est, turpi se ocio subycit uitamq; uti pecora transigit, nihil prorsus operando, & quum ex animo & corpore constet, animi Imperio, atq; corporis seruitio uti debeat perperam animo ac prepostere agit. Quis hunc brutire non existimet? Qui ad corporis dumtaxat usum refert omnia? Quem si recte quispiam æstimare ac trutinare uelit, haud uiuum sed potius mortuum æstimabit, dignumq; obrui & inter mortuorum cadauera sub humari. Quod enim est aliud huiusmodi torpor iners quam mors quedam & uiui hominis sepultura? Multum quidem inter est uita ociosa sit, an ignaua. Qualis uita ociosa est illorum qui in agro suburbano degunt nihil agentes otiosiq; consenescunt. Inglory & incogniti.

Qui sic delitescent minime sibi uiuent, & qui nemini prodest uiuus sibi non uiuit & quam praue huiusmodi & quam moleste cogitationes mentem peruolitant sæpius infestant atq; inuadunt, quum sint turpes & seminarium quoddam malorum. Quantis etiam illecebris implicãtur otiosi & nihil agentes. In hos toto impetu fertur humani generis inimicus, & ueluti in umbraculo quodam ac sentina uiciorum in eis quiescit, prauaq; suggestione in quæ uis flagitia facile impellit, quum sint penitus in sua potestate constituti.

A quæ lacunares quoniam motu carent uitium contrahunt, et cito marcescunt, ac pessime olent tetrasq; bestiolas suo marcore ingenerant easdemq; nutriunt. Terra inculta situ, squallet uepribus ac nocentibus herbis simul coalescentibus ad ferendas fruges inhabilis efficitur. Ignaui atq; torpentis animus quum sit ab omni honesta

occupatione alienus, fomes est omnium scelerum atq; uiciorum.

Crates Philosophus Stilbonis auditor quum ociosum in secessu quodam spaciantem uidisset adolescentem, interrogauit illum quid illic solus faceret, mecum, inquit, loquor, cui Crates caue inquit, & diligenter attende, ne cum homine improbo loquaris, uerbum profecto elegans ac Philosopho dignum, quod certe haud quaquam dixisset uir ille sapientissimus, nisi cognouisset, torpens otium incensiuum esse malorum. Si quis enim turpiter sic se derelinquit, mala agitat consilia, periculum quippe, uel sibi, uel alijs futurum instruit. Audaciam excitat, malas cupiditates ordinat, libidinem irritat. iracundiam instigat, & in queuis scælera præceps agitur, egregie igitur ingeniosus Poeta Sulmonensis cecinit.

Cernis ut ignauum corrumpant ocia corpus
Et capiant uicium, ni moueantur Aquæ.
Queritur Aegistus quare sit factus adulter,
In promptu causa est; desidiosus erat.
Ocia si tollas, periere cupidinis arcus
Contemptæq; iacent & sine luce faces.

Nec minori crimine obnoxij tenentur qui in exercendis turpibus omnem operam, sollicitudinem, atq; industriam impendunt & quum ex uirtute quam omnino pili faciunt, laudem & gloriam adipisci nequeant ex infami atq; inhonesto opere, sempiternam sibi ignominiam parant, horum ego uitam quandoquidem in uilibus rebus est occupata, non ociosam, sed desidiosam potius occupationem appellandam fore arbitror, sacius enim est ociari, quam turpiter occu

pari. Ex horum genere sunt Mimi, Parasciti, Gnatonici, Gladiatores, Prestigiatores, Balatrones, et cæteri Malefici, Omnisq; scena ioculatorum. Quis enim non uideat quantam turpitudinem ex obscenis partibus, uerbis, & gesticulationibus spectantium oculis ingerant, quam uel cynicus aspicere erubescat? Quis hanc licentiam minime culpet qua sæpe contingit, uerum etiam probum (cuius officium est ab honesto nequaquam discedere) frequenti hac hilaritate mulceri, ac resolui? Eneruant enim animos, frangunt, atq; effeminant non parum huiuscemodi ludrica exercentes. Ab oculis siquidem, uti ab impudicis ministris paulatim ad animum usq; corruptela irrepit, läguescũtq; sensim rationis uires sub lasciuiarũ aspectu.

Recte igitur Pericles Sophoclem Prætorem, atq; Collegam qui casu pretereuntem adolescentem de dignitate, ac pulchritudine formæ, ad se conuersus laudauerat, arguit dicens, Decet prætorem non modo manus, sed oculos etiam continentes habere.

Taceo quæ turpiter dicuntur, ac turpius fiunt persæpe in magnorum uirorum lautis conuiuijs, atq; nuptiarum apparatu, solemneq; pompa, ut ab ebrijs lurconibus, quandoq; uomitationes ob nimiam uoracitatem emittuntur, emissosq; uentris crepitus fœdissimos, non sine magno audientium plausu, aliasq; obscœnitates æbriosorum, quisnam sane mentis non horreat? non abhominetur? non obstippa facie atq; obliquis oculis, contractisq; superciliis omnino declinet? non secus fugiat, atq; cloacalem illuuiem?

Hys etiam adijciuntur, qui nitorem atq; splendorem animi ex inclita uirtute prosilientem penitus contemnunt, & potissimam temporis partem atterunt, dum corpus exhornant, & muliebri more comam nutriunt, capillos fingunt, & stilo eburneo discriminant, ad speculum

lum hinc, atq; illinc in ordinem dirigunt, supercilia abradunt, pilos euellunt, fluentem ad humeros iubam pectine componunt, abluti aqua rosacca, & odoriferis unguentis delibuti, atq; conspersi odoribus suauissimis in publicum prodeunt, composito gradu instar pauonis sese conspiciunt sæpius, sibiq; nimium blandientes incedunt, si quam fortasse fatuam offendat, quæ huiuscemodi seducta fallacijs, in eorum complexus ad uolet, aut potius siquem reperiant, quod dicere pudet, quem ad sese alliciant glabri, atq; cynedi. Quis inquam istorum est, qui non magis fœmina, quam uir appellari cupiat, & non magis politus, & forma corporis decorus, quam honestus, & non mage sollicitus, de cultu, atq; decore corporis, quam de salute. Turbetur res publica licet, & obsidione circumualletur. Arma tractentur, uel aliud quid triste immineat, capitiq; incumbat, nihilo minus in eorum mollicia, studioq; uoluptario perseuerare non desinunt homines isti futiles ueneri dumtaxat indulgentes, hij profecto non otium, sed iners negotium conterunt, & inter mulierum choros, & tempanistnas, atq; psaltenas, non absurde connumerandi sunt. Ah quanto satius foret, si tales effœminati homines, animum ex diuina mente acceptum, optimis moribus, institutis, ac uirtutum splendoribus excolerent, missasq; facerent huiuscemodi muliebres ineptias robur illud uirile pœnitus eneruantes. Non autem ijs interdico nitorem corporis, quum homo sit animal politicum, quem si negligeret, nihil homine sordidius esset, uerum enim uero nimium cultum, nimiamq; expoliendi curam interdico, quæ sunt uiro indigna. Neq; uero ad id reperta sunt specularia tam miro artificio fabricata, ut in hos usus conuerterentur ab hominibus, sed potius, ut sese in simulacro, atq; imagine inspicientes, &

dignitatem corporis, si formosi essent, minime uicijs dehonesta-rent, sin autem deformes, ædiscerent redimendum fore, quidquid corpori deesset,

Hæc tua quæ terso facies iaculatur ab orbe
Nec nimium placeat, nec tibi displiceat.
Si formosus eris, uicijs non turpior esto,
Sin fueris turpis, pectora pulchra geras.

SAN. Longa æquidem, & non insuaui oratione, ita meum animum oblectasti, ut gratuler mihi ipsi, quod te ad hanc disputationem hortatus fuerim, nam ignauos, atq; inertes, sic insectatus fuisti, ut quo diuertant nequaquam habeant, nullumq; sit eis abste confugium omnino derelictum.

POM. Vidistine aliquando, præter hos, rusticanos, ac plebeos, in cœtu multorum hominum, nonnullos qui se generosos appellant, & ab alijs nuncupari uolunt qui solo nomine contenti totos dies à solis ortu usq; ad occasum segniter ociantur.

SAN. Profecto centies millesies uidi, & persæpe mecum ipse illorum ignauiam, atq; temeritatem obiurgaui. Ec quid de huiusmodi hominibus censes?

POM. Proh Deum, atq; Hominum fidem, quam mihi molestissimi sunt, atq; semper fuerunt, sumq;, & fui magnopere detestatus illorum segniciem, atq; inertiam, contenti etenim solo nobilitatis nomine, omne uirtutis specimen abse abyciunt, in omne flagitium se dissoluunt, & quum pleriq; ipsorum, inopia, atq; ægestate magna laborent, malunt otiosi, nihil omnino agentes, consistere, quam his se negotijs implicare, quæ honestè fieri possunt, & quæ nemo unquam sapiens contempsit, præferuntq; iners otium, atq; ignauiam

honesto negotio, inde quum res familiaris ab ipsis negligitur, & facultates tot suorum maiorum laboribus conquisitas, quum paulatim, aut luxus absumat, aut ingluuies hauriat, necessum erit eis, aut mendicare, omni pudore postposito, aut ingenium ad rapinas conuertere, aut (quod dolendum sit, ac maximè deplorandum) quum nihil ad uictum ualeat eis suppeditare, uxores, & filias ad quaestum obijcere. Inde etiam quaedam uerborum petulantia, nimiaq; licentia suboritur maledicta, obtrectationes, insani clamores, ac risus immoderati prorumpunt, illum criminantur, hunc subsannant, hunc illudunt, non maioribus, non aequalibus, non inferioribus parcunt, aliorum censores existunt, & quum in omne flagitium sese ipsos immerserint, falsa illa & umbratili nobilitate se protegunt, & excusant, immo potius incusant. Desinant itaq;, desinant hanc inanem eorum opinionem tueri, ac ineptire, seq; ipsos decipere, ne dum negociando, nobilitatem turpiter dehonestare uerentur, ociando turpius dehonestent, incidantq; in sempiternam ignominiam, quam deuitare per inertiam, atq; ignauiam arbitrabantur. Sed hos missos faciamus, et principale institutum prosequamur.

De Achille scripsit Homerus, quod animo tabescebat dum in otio permanebat. Cato autem uiua quaedam omnium uirtutum imago, unicumq; exemplar uitae humanae, tribus in rebus per omnem uitae tempus poenitentiam aegisse fertur. Primum si muliercculis aliquod archanum aliquando credidisset. Secundum, si naui mare transfetaret, illuc, quo pedestri itinere sibi peragrare licuisset. Tertium, si qua dies ei per incuriam inanis effluxisset. In quemlibet adolescentem ita inertem, atq; desidiosum, hoc disthicon meritò obijcere poterit.

Eſt tibi torpor iners pater, eſt ignauia mater,
Eſt ſomnus frater, eſt hebetudo ſoror.

Poſſem prӕterea quorundam animalium irrationabilium exempla in medium afferre, quӕ natura duce, atq; inſtinctu, pro uita tuenda nullis laboribus parcunt, ſed cœleſti quadam influentia dirigente, ita metiuntur tempora, atq; obſeruant, quӕ ad uitam eis conducunt, ut ne momentum quidem temporis, incaſſum prӕterire patiantur, ſed inſtant operi, adeunt, redeuntq; honuſta. In theſauros congregant, uiciſſim, ac mutuo ſeſe adiuuant, ut Apes, de quibus Maro in Georgicis ait.

Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.

Manilius. Omnibus una quies uenter, ſenſusq; per arctus.

Quӕ profecto, quam maximè ignauiam quoq; deteſtentur, idem Poeta meminit,

Ignauum fucos pecus à prӕſepibus arcent.

Vt formicӕ, cӕteraq; id genus animalia. Pudeat igitur hosce ignauos homines, ac inertiӕ deditos, ſibiq; ipſis ad perquirendum uitӕ ſubſidia negligentes, in his ſe ab animalibus puſillis, & abiectis ſuperari, diligentia ſcilicet tuendӕ uitӕ, tum ſolertia, tum prouidentia, in quibus uincere potiſſimum, ac ſuperare deberent, quum ſint Diuinӕ rationis participes, nec eos pudeat, ut ad honeſtas cum corporis, tum animi occupationes illorum animalium exemplo ſӕpius excitentur. Siquidem alia eſt hominis ratio, alia autem uiri, qui cupiant ſe uiros appellari, & eſſe, maius aliquid aggredi debent, quod ad fortitudinem attinet, eis enim propria eſt fortitudo. Qui ſanè uiri à uirtute nomenclaturam mutuati ſunt, non autem uirtus a uiris, ueluti à Venere uenuſtas, non è

contra Venus à uenustate, igitur qui à labore se abdicant, quanq; homines dicantur, nihilo minus tantum absunt a uiri ratione, quã tum à uirtute, quæ per labores, atq; sudores acquiritur.

Sapientissimè igitur sanxerunt Atheniensium leges (auctore Minoe) itemq; Lacedæmoniorum (latore Lygurgo) ut iuuentutem scilicet erudirent, currendo, uenando, exuriendo, sitiendo, algendo, æstuando, cæterosq; labores perferendo, ut scirent hys, uelut una crescentibus, nequaquam parandum esse, aut omnino cedẽdum. Sed de otio turpi, atq; illiberali, ista sint satis, nunc autem cætera prosequamur.

SAN. Copiose quidem, & quantum ad rem attinet, non incultè abs te dicta sunt omnia, nihil enim quod ad inertis ocij descriptionem, atq; imaginem, nihil quod ad detestationem pertinere uidebatur à te prætermissum esse arbitror, ut qui non pœnitus brutire, ac insanire uelint, percepta, ac diligenter cognita, huius tam grauissimæ labis turpitudine, atq; infamia, uel ipsam pœnitus ab se abstergant, uel à cætu hominum, atq; consortio declinantes, in ferarum lustris, atq; nemoribus delitescant, uel inter cadauera mortuorum omni memoria carituros seipsos condant. Quid est enim turpius homini, quam nullum de se, non modo rectè uiuendi, sed ne uiuendi quidem, rationem habere? Quid etiam eo indignius qui ne uiuat quantum in se efficit, & an uiuat omnino ignoret? Turpe quidem est prorsus ociari, ac nihil agere, multò autem turpius, illicitus, ac homine præsertim libero, indignis occupationibus exerceri, Omnium uero turpissimum, atq; pœnitus detestandum, nullum prorsus uestigium uirtutis, per ignauiam, atq; secordiam post cineres derelinquere, & in corpore uiuo animum, qui uitam corpori tribuit, pœnè

ultro extinctum habere, quis nam hos ne dum uiros, ſed etiam homines iure appellet? quis non potius uiuas quaſdam imagines, humanam effigiem præſeferentes non irrideat, & qui digni ſint magis in ſtabulo, atq; ſterquilinio inter beſtias abijci, atq; detrudi, quam inter hominum domicilijs uerſari, & de quibus minime ſermo habeatur. Homo *ſiquidem ignarus, differt ab homine docto (inquit* Auerroes *) tanq; homo pictus, ab homine uero.* Quo *circa de ocio illiberali, hæc dicta ſint ſatis, & ad liberale ocium, hoc eſt libero homine dignum, tranſeamus, de quo magis abundè erit abs te differendum.*

DE OCIO LIBERALI LIBER SECVNDVS.

POMPONIVS GAVRICVS.



QVEMADMODVM inconfesso est, hominis naturam constare ex anima æterna, & corpore corruptibili, quippe q alterum cum cœlestibus, atq; sempiternis, alterum uerò cum rebus terrenis, atq; corruptibilibus, commune habemus, ita etiam alia est occupatio animi (de honesta hic loquimur) alia uero corporis, neq; uero ille rerum omnium Opifex, ac Mundi Fabricator Sapientissimus, immo ipsa ineffabilis sapientia, in corpus humanum, mortale, atq; caducum, non demisisset animam ipsam intellectuam æternam, ex suprema cœlorum sede, ad quam cœlestem patriam, suæq; originis primordia erit rursus remigratura, quum primum corporeis nexibus resoluta fuerit, ab omni nefando crimine depurata, omnemq; concretam exornerit labem, si homo, qui constat ex anima, & corpore, nihil omnino ageret, ac pœnitus ociosus existeret, quippe qui nullum prorsus foret discrimen, præter formæ elegantioris dignitatem, inter hominem, & mutum animal irrationale, quo fieri necesse sit ut frustra homini datus fuerit, nullamq;, aut laudem, aut dedecus consequeretur, essetq; culpa ipsi Deo attribuenda, qui animum, ueluti in carcere quodam, nihil omnino factitaturum in corpore concluserit, quo certè nihil dementius, nihil stolidius, nihilq; ab-

ſurdius à mente diuina dici, atq; excogitari poterit.

SAN. Recte profecto argumentatus fuiſti, nam ſi ab homine actiones (quæ illi congruunt) ſubſtuleris, erunt res ipſe ſuis finibus deſtitutæ, fruſtra enim, & illud calciamentum, cuius non eſt calciatio, inquit Philoſophus, nam ſicuti proprium eſt ignis calefacere, aquæ uero frigefacere, luminoſi corporis quicquid ei obijectum fuerit, illuſtrare, ita proprium deberet eſſe homini, ex ea parte, qua intelligentiam, & rationem ſortitus eſt, intelligere, atq; ratiocinari, unde animal rationale nuncupatur, & qua uti debet ratione, quod ſi non fecerit, uana utiq; huiuſcemodi nuncupatio, illi attribuetur.

POM. Quemadmodum hallucinari uideor, perconcinne Philoſophatis. Nulla quippe alia re, homo ad ipſum Deum proximius accedit, quam ratione, & intelligentia. Nihil præterea ſimiliorem Deo efficit, quam ſubducere, & reuocare animum ab exterioribus occupationibus, quæ mirum in modum impedire ſolent, ipſumq; exercere, & ad eas res pernoſcendas, quæ ſcientiam, & ad eas ſapientiam pariunt, præſertim ad ipſius ueri, ac ſummi Altitonantis Dei cognitionem. Namq; opes, prætesteq; auro, purpuraq; diſtinctæ ueſtes, & cœtera huiuſmodi bona externa, quum hijs Deus non indigeat (ſitq; omnium rerum Dominus) hominem Deo ſimilem nullatenus efficiunt. Excitare igitur, atq; exercere debemus animum, ac bonis artibus inſtituere, quam diu uitam hanc degimus, ne per iners otium fortaſſe tabeſceret, quum enim ſit rerum omnium capax, poſſitq; ad cuncta perueſtiganda, & pernoſcenda ſeipſum erigere, propter quod attributi ſunt ſenſus homini, uelut miniſtri, ac ſatellites, magno ſcelere ſe aſtringunt, ſeq; ipſos abijciunt, qui

more

more beluarum, nullam prorsus de uirtute, nullam de scientiarum disciplinis, nullam de laude, gloriaq; acquirenda cogitationem, neq; opinionem habent, tum maximè, si nihil desit, quod hijs comparandis suffragetur, atq; opituletur.

SAN. Nihil profecto uerius, nihilq; accommodatius, abste potuit explicari, quod mihi obiter enunciasti, sed palàm effice, quæ nam potissimum artes, aut quæ uirtutes sint homine (hoc est humano animo) dignæ, pro quibus comparandis eniti, conariq; debemus, magna quippe afficior cupiditate, atq; ingenti desiderio, hæc ista abste nunc intelligere, nam quum in potestate, atq; arbitrio sit hominis constitutum, eligere quod melius est. Quid de uirtutibus, quid de artibus ab homine acquirendis censes, atq; diuidicas?

POM. Possidonius uir profecto mira præditus scientia, quatuor esse artium genera disseruit. Sunt uulgares, & sordidæ, sunt ludricæ, sunt pueriles, sunt etiam liberales. Vulgares sunt opificum, & quæ manibus exercentur, hæ quidem ad humanæ uitæ subsidia repertæ fuerunt, in quibus nulla decoris, nulla honesti simulatio est. Nam quum homo sit animal imbecillum, ac fragile, & paruo quidem incommodo lædi possit, ob corporis dignitatem, sitq; multis incommodis, atq; periculis expositum, omnino prouidendum fuerat, huic necessitati, cui, uel ita constante natura, uel ita exigente culpa, subijcitur, per eas potissimum artes, quæ ad tuendam uitam suppeditent, hinc colendi, serendi arbores, plantandiq;, gregis, atq; armenti congregandi, lanas trahendi, atq; coloribus uarijs inficiendi, texendi, insuendi, ædes fabricandi, & cætera huiusmodi, natura duce, artes excogitatæ, atq; repertæ sunt, quibus se homine tutarentur in uita, mutuoq; iuuarent, atq; conseruarent.

Ludricæ uerò ſunt, quæ ad uoluptatem dumtaxat tendunt, ut quæ in uocum modulationibus, quæ in choræis, quæ in thæatris, quæ in ſcœnis uerſantur, hijs etiam connumerare licet artem ſaltandi, iaculandi, digladiandi, diſcos, & cæſtus iaciendi, luctandi, ad taxillos, teſſeras, & id genus ludẽdi. Additur præterea ars cœlãdi, atq; pingẽdi, quæ ſpectatores allicit, facitq; eis mira uarietate blandiri. Pueriles autem ſunt; quæ habent quidquiam ſimile liberalibus artibus, ut quæ diſcendæ, in litterario ludo pueris in principio proponuntur, tanquam liberalium diſciplinarum fundamenta, & quæ in literarum inutilium ſtudijs habentur, ut quot remiges habuerit Vlixes, item ſi prior ſcripta fuerit Ilias, an Odiſſea? & nunquid fuiſſent eiuſdem Authoris? & alia quamplurima, quæ ſunt eiuſmodi, & parui quidem momenti.

Verum enimuero liberales artes, immo potius liberè, eſſent dicendæ, quæ ſolæ magnis dumtaxat, & præclaris ingenijs ſe ingerunt, tenduntq; in ardua, et qui circa uirtutem capeſcendam noctes, atq; dies, merito inſudant,

Virtutem poſuere Dei ſudore parandam.

Quemadmodum præterea (inquit Poſſidonius) aliqua pars eſt Philoſophiæ naturalis, aliqua moralis, aliqua deniq; rationalis, ita, & hæc liberalium artium turba, locum ſibi uendicat in Philoſophia. Harum profecto artium primas duas, quamplurimi aſſequuntur, in eisq; multum proficiunt, quod facilis, ad eas ſit aditus. Poſteriores autem, de uerè liberalibus loquor, eo paucioribus ſe inſinuant, quo pauciora ſunt præclara ingenia, ipſæq; ſcitu difficiliores. Illis quidem qui ſeſe, aut conquirendis, aut exercendis, dediderunt, actuoſos magis apellare licet. Qui uerò hijs inueſtigandis, & aſſe-

C

quendis, neglectis cæteris, se pænitus mancipauerint, ociosos potius, dixerim, & in ijs otium liberale corpora in illis, & plerumq;, usq; ad lassitudinem, quam maximè laborant, in his uerò potissimum animi, et ij quidem eo ualidiores fiunt, & corroborantur, quo in altiora, atq; ardua magis tendunt, nec labore deprimuntur, illæ uel nullam, uel satis exiguam laudem, immo potius ignominiam, & persæpe infamiam pariunt. Hæ quidem maximam laudem, & gloriam sempiternam. Illæ temeritati fortunæ subduntur, afferuntq; nonnunquam maximam calamitatem, quum omnis earum ius in corporis propemodum labore consistat. Hæc autem, quum in animo dumtaxat sitæ sint, inquem, nemo habet imperium nunquam deserunt habentem, uereq; beatum efficere consueuerunt.

SAN. Fateor æquidem de his artibus (quas Auctore Possidonio grauissimo quidem Philosopho) in quatuor genera dissecuisti, abundè satis à te mihi satisfactum fuisse. Hic ne est ille Possidonius ob cuius auctoritatem celeberrimam, ac nominis famam Magnus ille Pompeus nimio amore allectus, ultro ad illum uisendum se conferre nequaquam erubuit, & tam clarissimi, sapientisq; Philosophi domum intraturus, de more fores percuti, a satellite uetuit, & fasces litorios ante illius ædes submisit. Is cui se oriens, occidensq; submiserat. Verum enim uero, nisi ualdè molestus essem, quæso, & obtestor te, ut in huiuscemodi liberalium artium disceptatione aliquantisper immoreris, et primum quidnam sit huiuscemodi ocium liberale, de quo hanc dissertationem facere incœpisti, ne ancipiti nomine fallar, dilucidius, quam poteris, explica obsecro. De omni etenim re, de qua disserere uolumus, primum quærenda est ratio, alioqui omnis disputatio uana esset, atq; ambigua.

POM. Rectè quidem arbitrares. Vtrumq; igitur faciam, ad quod me hortatus fuisti, quippe qui in primis, quid sit ocium liberale, quanto breuius, quantoq; dilucidius potero, explanare conabor, & in quo maximè consistat explicabo. At quum idipsum bipartitum sit, alterum scilicet quod in honesta animi occupatione, quiete tamen corporis consistit, alterum uerò contra, in corporis occupatione honesta, quiete nihilominus animi ferme uersatur. De utroq; quid sit, in præsentia dicere oportet. Primum igitur ocium, nihil aliud est, quam ab omni externa occupatione uacatio, rebusq; tantummodo inuestigandis, atq; pernoscendis, quæ dignæ sunt homine libero, intentu animi cogitatio. Secundum uerò, tum publicis, tum priuatis negotijs peragendis honesta quædam animi diligentia, sed inter hæc multum, & maximè refert, illius quidem ratio, magis ad ocium pertinet, huius autem magis ad negotium, habet tamen aliquid de ocij ratione admixtum. Nam qui a negotijs publicis, & priuatis, seipsos omnino subtraxerint, & quietem, atq; animi tranquillitatem, tantummodo expetentes ad ocium confugerint, hi ociosi erunt, atq; habebuntur. Quum enim expresse intelligerent, nihil esse dulcius, neq; iucundius ocio literario, nihilq; magis proprium homini, quam intelligentia, atq; rerum altissimarum cognitio, & ea præcipuè, quam Philosophiam appellant, tanquam nullius rei egentes, solo dumtaxat studio oblectati, suos parentes, liberos, qui suauissimi sunt, suosq; propinquos, consanguineos, familiares, opes, honoris insignia contemnentes, & ipsam deniq; patriam, quæ etiam charissima est, quippe qui, uti ingeniosus Poeta cecinit.

Nescio qua natale solum, dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.
Quid melius Roma? Scithico quid frigore peius,
Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.

Nullis periculis, nullis laboribus, nullis deniq; incommodis pepercerint, quo a uulgari hominum cœtu, atq; numero semetipsos eximerent, essentq; admiratione digni, & scientiarum claritate se maximè illustrarent. In eorum numero, pleriq; fuerunt Philosophi clarissimi, ut Pythagoras, qui illud nomen primus inuenit, posterisq; uelut hæreditarium reliquit. Is itaq;, tam mira sciendi cupiditate tenebatur, ut in Aegyptum, Babyloniamq; ad perdiscendos siderum motus, speculandiq; mundi originem, deinde Lacædemona, ad pernoscendas Lygurgi leges, nauigare non dubitauit. Quid Socrates qui (teste Cicerone) Philosophiam è cœlo deduxit, in terrisq; plurimos edocuit, nonne Apollinis oraculo sapientissimus iudicatus est? Hic quidem tanta rerum altissimarum contemplatione rapiebatur, ut sæpe solitus dictus fuerit, stare pertinaci animo, atq; statu perdius, atq; pernox, a summo lucis ortu, usq; ad solem alterum exorientem incanniuis, atq; immobilibus oculis, in eundem locum directis, iisdemq; in uestigijs cogitabundus, tanquam abstracta fuisset anima è corpore. Quid Democritus uir profecto præter alios uenerandus, auctoritateq; antiqua præditus, nonne quum pater eius, adeò diues esset, ut per Annum Xersis exercitum facilè admodum alere potuisset, nihilotamenminus ob amorem sapientiæ, cunctis opibus derelictis, sua sponte luminibus se priuasse dicitur, quippe qui arbitrabatur cogitationes, commentationesq; animi sui,

*in contemplandis naturæ rationibus, fore uegetiores, si eas uiden-
dis illecebris, atq; oculorum impedimentis laborasset. Quid de Diuo
Platone loquar? homine quidem Philosophorum omnium principe.
Is enim, postquam inter Socratis discipulos excellentissima glo-
ria claruisset, cæterosq; facilè superasset, nihilotamenminus reli-
cta Græcia, in Aegyptum peragrauit, illiusq; gentis sacerdotibus
supplex, & humilis se discipulum subyecit, a quibus, postquam A-
rithmeticæ numeros, Gæometriæ, rerumq; cœlestium rationes didi-
cit, in eam Italiæ regionem, quæ olim magna Græcia nuncupaba-
tur, se contulit, ab Archita Tarentino Pythagoræ præcepta su-
scepit, & quidquid ibidem scitu, & cognitione dignum fuisset, fa-
cillimè cõprehẽdit, et assequutus fuit omniũ scientiarũ, atq; discipli-
narũ æncíclopediã. Bias Premensis, quũ in ocio scilicet, & contẽ-
platione animi uiuere decreuisset, patriamq; suam hostes depopula-
rent, cæteris ciuibus, præciosarum rerum suarum honustis ponde-
re, fugientibus, nihil secum deferens, aufugit, & quum in tanta po-
pulorum trepidatione, interrogatus esset, cur nihil ex sua supelle-
ctile, præciosioribusq; bonis suis, nihil secũ transportaret, respõdit*
Omnia mea mecum porto, *in pectore quidem condita,
non oculis aspicienda gestabat, scientiam utiq;, atq; bonas artes
(quæ tantum modo nostra sunt) in quibus nulla uis, nec impetus
ullus, potestatem habet, nosq; bellorum, ac pacis tempore, absq; las-
situdine, & terrore perenniter concitantur. Quid Aristoteles?
quid Zeno? quid Anaxagoras? quid Crisippus? quid Cleantes? quid
Theophrastus? ut reliquos ommittam, nonne posthabitis cæteris cu-
ris, atq; negotijs familiaribus, hoc uno tantum bono oblectati ocio,
quippe literario, res ægregias, magisq; arduas egerunt, quam si nu*

merosissimos duxissent exercitus, aut populis leges tulissent, & quamuis publicæ nihil factitasse, alciora egerunt, dum in literarum monimentis, secreta naturæ, posteris aperuerunt, nam

Fœlix qui poterit rerum cognoscere causas.

Nam quum in uita humana sint tria genera, in quibus, quid sit optimum quæri solet, unum in quo maior pars hominum uoluptatibus indulget, alterum contemplationi, tertium actionibus. Primum laudabat Epycurus, tertium qui, uel belli, uel pacis tempore, Rempublicam administrat. Verum enimucro, omnes uiri quippe ingeniosiores, Secundum, duobus alijs, tanquam melius, & excellentius ante ponunt, & quidem iure optimo. Quid enim dignius, quid utilius, quid item beatius agere homines possunt, quam spretis honoribus, contemptisq; diuitijs, quæ maximo sunt ad Philosophandum impedimento, mentis acie, rerum infinitates, atq; naturas rimari, contemplariq;, utpote cœlestis cœlorum defluxus, luminaria duo, et quinq; erraticas stellas, & quatuor elementa, ex quorum commixtione fiunt in istis inferioribus generationes, & corruptiones. Quid .n. dulcius, quam rerum dignoscere causas, & uti in libro Fastorum ingeniosissimus cecinit Poeta Sulmonensis.

Fœlices animæ quibus hæc cognoscere primum,
Inq; domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter uicijsq;, iocisq;,
Altius humanis exeruisse caput.
Non Venus, & Vinum sublimia pectora fregit,
Officiumq; fori, militiæq; labor.
Nec læuis ambitio, perfusaq; gloria fuco,
Magnarumue fames sollicitauit opum.

Admouere oculis distantia sidera nostris,
Aetheraq; ingenio supposuere suo.
Sic petitur cœlum, non ut ferat ossan Olympus,
Summaq; peliacus sidera tangat apex.

Soli igitur omniũ ociosi sunt, qui sapiẽtiæ uacant, soli admiratione digni existunt, & qui inter mortuos uiuunt, & quos imitari debemus, non autem illi qui diuitias appetunt, & honores ambiunt, & qui potentiorum, illustriumq; uirorum, ob lucrorum, & honoris cupiditatem, limina frequentant, qui semetipsos, atq; alios coinquinant, qui meritorias, ne dixerim mercœnarias salutationes circunferunt, & quum sollemniter insanierint, dum præmia, uel laudem sperant se assequuturos, persæpe falluntur. non hos inquam, imitari debemus, qui se actuosos esse malint, quam otiosos, sed ipsos Philosophos, bonarum artium professores, & antistites, quibus nisi prorsus ingrati fuerimus, ingentes, atq; immortales gratias habere debemus, quoniam pro nobis laborauerunt, pro nobis nati sunt, nobis quam rectè uiuendum sit, uiam aperuerunt, nobisq; res pulcherrimas, è tenebris in lucem eruerunt. Quis est igitur, tam hæbeti ingenio, tamq; stolidus, bardus, margites, corebus, atq; melites, qui hoc istud ocium liberale non laudet, non admiretur, quum tantam habeat dulcedinem, miramq; oblectationem, & quod homines facit cœteris omnibus anteire, solum est uera quies, atq; tranquillitas animorum, solum ad uirtutes capescendas incitamentum, & uirtutum ad immortalem gloriam comparanda, exemplar egregiũ. Plurimi quum fuissent in manibus hostium, aut tyrannorum, multi in custodia, uel profugi in exilium destinati, suos mœrores, doctrinæ, & scientiarum studys, placarunt, & forti animo pertulerunt,

lerunt, quemadmodũ Nasoni, et Boetio Seuerino accidisse legimus. Phalerius item Demetrius, quum è patrijs laribus profligatus fuisset, ad Ptolemæum Alexandrinorum Regem se contulit, qui quum in Philosophia excelleret, fuerat quippe Theophrasti auditor, multa in illo exilio calamitoso conscripsit, quod erat quidam animi cibus, atq; mentis suæ consolatio. Iam habes unam, quam de ocio liberali partem absoluimus, quo ad id scilicet, quod ad bonas artes pertinet. Nunc autem superest absoluere alteram, quæ ad uirtutes, tanquam e fontibus honestatis emanant.

SAN. Nihil abste optatius expecto, quam ut has uirtutes mihi explices, quæ dignæ sunt homine libero.

POM. Ausculta igitur auribus intentis. Quatuor dicuntur esse uirtutum species, Politicæ, Purgatoriæ, animi iam purgati, atq; exemplares. Politicæ quidem sunt hominis, ex eo quod est animal sotiabile, hijs corporis, & animi dotibus, boni principes Reipublicæ consulunt, urbes tuentur, ciuium salutem gubernant, & discant parcere subiectis, & debellare superbos, parentes uenerentur, liberos diligant, & instruant bonis moribus, proximos ament, socios circumspecta prouidentia, protegant, iusta liberalitate deuinciant, iustitiam colant, & Deos uenerentur, quippe qui

Expedit esse Deos, & ut expedit esse putemus,
Dentur in antiquos thura, merumq; focos.
Nec secura quies illos, similisq; sopori
Detinet, innocui uiuite, numen adest.

Politicæ præterea munus est, atq; prudẽtia, ad rationis normam, quæ cogitat quomodo agit uniuersa dirigere, & nihil præter rectũ, uelle, uel agere, humanisq; actionibus, tanq̃ diuinis prouidere.

Prudentiæ quidem, insunt ratio, intellectus, circumspectio, prouidentia, cautio, & docilitas. Fortitudinis est nihil timere, nihilq; nisi turpia, & inhonesta euitare, tolerare fortiter, uel aduersa, uel prospera. Ex ea emanant magnanimitas, fiducia, constantia, securitas, magnificentia, firmitas, et tolerãtia. Temperantiæ uero nihil appetere, nullius pœnitere, rationis iura, ac legem neutiquam excedere, sub rationis iugo cupiditatem domare, atq; retinere. Temperantiam commitantur modestia, uerecundia, castitas, abstinentia, honestas, moderatio, parcitas, atq; sobrietas. Iusticiæ autem, seruare unicuiq; quod suum est. Ex ea progrediuntur innocentia, amicitia, concordia, pietas, relligio, humanitas. Hijs etenim uirtutibus, uir bonus, ac sapiens se primum, atq; suos, deinde Rempublicã iuste regit, ac prouide gubernat. Hæ uero, quas purgatorias uocant, hominis sunt, qui diuinorum est capax, & qui a corporeis contagionibus se purgare consueuerit, et quadam humanorum scelerum fuga solumodo se inserere diuinis. Hijs quidem dumtaxat ociosi sunt, qui rerum publicarum actibus, atq; officijs seipsos expediunt. At quædam sunt purgati, iam defecatiq; animi, & ab omni huius mundi coinquinamento, atq; aspergine satis pure detersi, in his prudentiæ est diuina semper intueri. Temperantiæ terrenas cupiditates non pœnitus reprimere, sed, uel non admittere, uel obliuisci. Fortitudinis, passiones ignorare, non uincere, ut nesciat irasci, cupiatq; nihil. Iusticiæ, ita cum superna, ac diuina mente sociari, ut perpetuum cum ea fœdus seruet. Exemplares autem, hæ solæ appellantur, quæ in diuina mente consistunt, immutabiles, ac sempiternæ, unde cætera, quæ inter humana uersantur, duxerunt originem. Harum primæ optime disponunt, secundæ auferunt, ter

tiæ obliuiscuntur, ultimas autem nefas est nominare. Habes igitur, quæ de uirtutibus à me postulaueras, & fortasse copiosius, quam rebaris, nunc uerò, ne te diutius in mora detineam, alteram partem ocij liberalis absoluere conabor, ut huic quæstioni finem imponam. Scipionem Africanum, cuius magna est apud nostrates auctoritas, nonne ocium cum negotijs coniunxisse legimus? Hic est ille Scipio, quem accepimus esse solitum dicere, nunquam se minus ociosum esse, quam quum ociosus esset, nec minus solum, quam cum solus esset. Is ocio literario operam dabat, & sæpenumero ad Rempublicam gubernandam accedebat. Ciceronem quoq; Romanæ eloquentiæ principem, uirum in omni genere scientiarum, atq; doctrinæ, nostris omnibus præferendum, illud idem factitasse audiuimus, & legimus, nam ab ocio literario, cui maxime incumbebat, ad Rempublicam sepesæpius se conferebat, & ab ea rursus ad literarum studia reuertebatur, & quantum in utroq; excelluerit, declarat Consulatus eius, & tot librorum, quos scripserat, copia, quibus cum nostris græca coniunxit, nam siue ad eloquentiam, siue ad bene, beatæq; uiuendum, siue ad Reipub. regimen, siue de humanis, siue de diuinis rebus animum instituere uelis, apud ipsum Ciceronem, omnia, & quidem abundè inuenies. Ad hoc itaq; tam sanctissimum ocium, a tot, ac tantis sapientibus uiris celebratum, conferre sese homines debēt, modo ad sint cœtera, et in eo intranquillitatis portu, suum uiuendi modum, constituere.

Illam uero nimiam curam, sollicitudinem, diligentiam in rebus hijs adipiscendis, quæ fluxæ sunt, & caducæ, & quæ non copiam, sed inopiam pariunt, ab se abijcere, malintq; cum paucis ijsdem sapientissimis, atq; clarissimis uiris, quam cum imperita multitudi-

ne connumerari, quæ aspirat, atq; anhelat ad opes, ad dignitates, ad magistratus, quæ magno cum labore acquiruntur, maiore metu possidentur, maximo autem cum dolore deperduntur; nam si uti existimantur, hæc essent uera bona, profecto ad sapientes potius peruenirent, nunc uerò è contra, quum ijs careant Philosophi sapientes. Stultissimi autem, ignauissimiq; abundent, quibus nulla de bonis animi, nulla est de uirtute opinio, sed de luxu, atq; de corporis cultu uelint magis uideri, quam esse, luce clarius constat, prorsus falsam esse.

SAN. Fateor equidem, ita me delectatum fuisse, hac tam pulchra, tamq; fructuosa inquisitione, ut non parum me sentiam excitatum ad amorem huius tam liberalis ocij, tamq; honesti, & ad inertis, atq; ignaui detestationem, quum illius splendorem, huius uerò turpitudinem, atq; obscuritatem, ante meos oculos, ut sic dixerim, depinxisti, adeo quidem, quod non paruam mihi in animo cupiditatem, ad huiuscemodi ocium liberale assequendum ingenerasti, tot sapientum uirorum exemplis comprobatum. Nunc autem perge obsecro, & siquid habes adhuc, quod ad id, de quo hactenus est disputatum, pertinere arbitraris, ut nihil defuisse uideatur, quam poteris, celerius explica.

DE OCIO LIBERALI LIBER TERTIVS.

POMPONIVS GAVRICVS.



ELVT ager infœcundus, ex ipso cultu si aretur, proscindatur, stercoretur, infœcunditatem exuit, ita etiam fœcundus, si nunquam quiescat, fertilitatem, atq; fœcunditatem ammittit. Ferrum quoq; rubiginem, & squallorem contrahit, si in usum non uenerit, at si assiduo illud usu exerceas, paulatim teritur, atq; consumitur. Arcum præterea,

Si nunquam cesses tendere, lentus erit.

Nec tanto impetu iacit sagittas, quæ in altum Aues uolitant, ne cessum erit, ut aliquando quiescant, et rursum, reassumptis uiribus, plerumq; in altum se tollant. Languescunt igitur non solum corpora nostra, uerumetiam animi sub ipso labore assiduo, semperq; remissiores euadunt.

Vir prudens quidquid agit, prudenter agit.

Comicus Poeta ait, nequid nimis, & Venusinus noster

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra, citraq; nequit consistere uirtus.

Necessum est igitur, ut quisq; uir ingeniosus, siue in otio, siue in negotijs uersetur, ut uires, & robur corporis non debilitentur, sed potius augeantur, & conseruentur, & uegetiores fiant, nihilo sec=

cius, plus uigilandum eſt, quam dormiendum,

Nam diuturna quies, uicijs alimenta miniſtrat.

Et uti religioſus ille tertius Cato cœcinit

Segnitiem fugito, ſimul & uitare memento,
Nam quum animus languet, conſumit inertia corpus.
Cum Venere, & Baccho lis eſt, ſed iuncta uoluptas,
Indulgere gulæ noli, quæ uentris amica eſt.

Sed bonis literis indulgendum erit, quod nos ocium liberale, hoc eſt libero homine dignum, nuncupamus.

Auguſtus Imperator

Nam Deus in terris præfecit totius orbis
Induperatorem, tranquilla in pace regentem
Innumeros populos, pariter Regesq;, Ducesq;.

Sed tamen, in tam ſublimi, & excelſa imperij Ariſtocratia, ocium, atq; animi quietem, maximoperè exoptabat, unde multotiens ſermo eius eo tendebat, ut aliquando ſperaret ocium, & a rebus publicis uacationem, quatenus rerum cœleſtium, & primi Motoris maieſtatem contemplaretur, quæ quidem contemplatio eſt dulciſſimus animi cibus, & ſe ſibi uicturum, quandoq; palam in Senatu dicere non erubeſcebat, uſq; adeò, etiam in tam maxima Imperij mole uiſa erat, & gratiſſima res, ocium liberale, hoc eſt mentis contemplatio, & uacatio ab aſſiduo corporis, & animi labore perpetuo, in re publica adminiſtranda, in toto terrarum orbe, nc dum In hac orbis, & urbium principe Roma, nam

Roma caput mundi, regit orbis fræna rotundi.

Illud idem de Dioclitiano legitur, quod aſſiduis laboribus, & odio Reipublicæ adminiſtrandæ, & ocij cupiditate, Imperio ceſſit, &

ſe Philoſophicis, rebusq; cœleſtibus dicauit, & uerboſas leges, floc-
cifacere non dubitauit,

Et ingrato uoces proſtituiſſe foro.

SAN. Adeo ne res optatiſſima, atq; dulciſſima eſt, quies animi, ut ſummi, etiam principes, atq; Reges, tametſi glorioſè uiuerent in Cæſarea, aut Regia maieſtate florerent, illam expeterent, & honores maximos floccifacerent.

POM. Eſt ſanè, quandoquidem maxima poteſt eſſe fœlicitas in mentis quietudine, & animi contemplatione, circa res philoſophicas, & cœleſtes, atq; diuinas. Affluant licet omnia, & uotis ſuccedant bona externa, utpote opes, honores, magiſtratus, & imperia, niſi homo ille, quamuis diues, locuplex, pecunioſus, atq; opulentiſſimus, aliquando ſibi uiuat, & animi cruciatibus non torqueatur, non laboret, non angatur, non cupiditate, uel metu, uel alio quouis affectu tangatur, quis hunc beatum ſatis, ac fœlicem appellet? Poſſem præterea, clarorum uirorum exempla in medium afferre, & forſitaſſis a propoſito minimè aliena, ut Dioniſii tyranni, & Alexandri Phærei, & complurimorum aliorum, niſi tuas aures obtunderem, maximam igitur uoluptatem præbere ſolet huiuſcemodi relaxatio animi, quod ocium appellant.

SAN. Placent mihi omnia quæ dixiſti, & me mirum in modum oblectant, uellem tamen abs te intelligere, priuſquam ulterius progrediare de huiuſcemodi ocio, quod tantopere laudas, quidnam ſit, nam poſtquam eius rationem, ſeu diffinitionem clarius percepero, cætera facilè intelligere potero, nihil enim cum maiori cupiditate expecto.

POM. Faciam quod expoſtulas, ſed arrige aures attentas. Eſt itaq;

huiuſcemodi ocium nihil aliud, niſi uacatio quædam, & intermiſſio a grauibus, ſerijsq; rebus, ad relaxationem animi, atq; uires aliquantum reparandas, quum nullum in ſe turpitudinem habeat, ſed potius honeſtatem. Quod ex hijs etiã, quæ modo ſubijciam, clarius intelligere poteris. Socrates (in cuius pectore ueluti in domicilio, & ſacrario quodam, ſe Philoſophia inſinuauerat) uir profecto, non tam ſcientiarum, quam uirtutum ſplendore, atq; grauitate perſpicuus, quo faſtidientem ſtudijs animum refocillaret, interpoſita intra coxendices harundine, huc, atq; illhuc homo grandæuus curſitando, cum puerulis ludere, neutiquam erubuit, quod ubi Alcibiades auditor eius, percepiſſet, non potuit ſe à riſu abſtinere. Scæuola item uir, in diuino, atq; humano iure peritiſſimus, ubi iura ciuium, cærimoniasq; Deorum ordinaſſet, ad pilam cum pueris ſæpius luſiſſe dicitur. Cato Cenſorinus rectè uiuendi norma, morumq; apud Romanos exemplar clariſſimum, ut curis publicis defatigatum animum relaxaret, interdum mæro dulci liberalius utebatur, q̃; ſibi uiro graui, et ſtoico par fuiſſet, uſq; uidelicet ad ebrietatem, non autem ut ſe uino prorſus immergeret, ſed quatenus ab hilaritate curas deprimeret. Vnde Bacchus uini inuentor, dictus fuit liber, non ut linguæ libertatem, ſed quia a curarum ſeruitio animum liberaret, & homines audaciores in omnes conatus redigeret, nam, ſiue Homero poetarum principi credimus, aliquando inſanire iucundum eſt, ſiue Ariſtoteli adhibenda ſit fides, raro admodum magnum hominis ingenium, abſq; aliqua dementia eſſe conſueuit, unde pleriq; Poetæ, diuino quodam furore ſæpius concitantur. Quis igitur ſanè mentis uir æbrietatem non damnet? nam AEbrietas ſi uera nocet, ſi ficta iuuabit.

Auſerre

Auferre enim consueuit hominem bibulum a se ipso, lumenq; rationis obtundit, inconstantiam, obliuionem, fœditatem, & omnem demq; turpitudinem parit, ridiculosq; facit. Quid enim aliud est æbrietas, quam manifesta, & uoluntaria insania? quis temulentus, siue æbrius, sua, & amicorum archana non detegit? quis manus, & linguam continet? quis non impudicus, non petulans? Horatius in epistolis cecinit sic,

Quid non æbrietas designat? operta recludit,
Spes iubet esse ratas, ad prælia trudit inermes,
Sollicitis animis onus eximit, addocet artes,
Fœcundi calices quem non fecere desertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Alexandrum Macedonem, quem tot itinera, tot prælia, tot frigora, tot æstus, tot uastæ solitudines, tot locorum difficultates, atq; angustiæ, tot maria, tot rerum discrimina, tot deniq; hostes uincere non ualuerunt, intemperantia uicit, & cerebrum funditus conculcauit, seq; Alexandro magno priuauit. Quippe qui nimia meri bibitione obrutus, & sui ipsius immemor, Cletum sibi carissimum Philippi patris gesta efferentem, atq; commemorantem, intra pugione transfodit, quem ubi compos sui factus fuerat, ad se uocari iussit, a seq; extinctum fuisse intellexit; cognito facinore, uix manus suas abstinuit, quin mortem sibi asciscisseret. Rectius autem Zeno Stoicæ Sectæ conditor, aiebat uirum bonum, atq; modestum, non debere inæbriari, & sic argumentabatur. Temulento æbrio nullum archanum est committendum, quoniam operta archana recludit, uini autem sobrio est committendum. Vir ergo bonus, non erit æbrius. Zenonis itaq; testimonio, procul dubio temulentia, &

ebrietas a uiro bono debet esse aliena, quanto igitur magis ab optimo, atq; prudentissimo uiro, qualis erat Marcus Cato. Nisi fortasse uelimus eundem ipsum sapientem simul, & insanum, ac stolidum, & probum, atq; improbum appellare.

DE OCIO LIBERALI

Ouid. primo de remed.

Ergo ubi uisus eris nostra medicabilis arte,
Fac monitis fugias ocia prima meis.
Hæc ut ames faciunt, & quæ fecere tuentur,
Hæc sunt iucundi causa, cibusq; mali.
Ocia si tollas periere cupidinis arcus,
Contemptæq; iacent, & sine luce faces.
Quam platanus riuo gaudet, quam populus unda,
Et quam limosa canna palustris humo.
Tam Venus ocia amat, finem qui quæris amori,
Cædit amor rebus, res age, tutus eris.
Languor, & immodici sub nullo iudice somni,
Aleaq; & multo tempora quassa mæro.
Eripiunt omnes animo sine uulnere uires,
Affuit incautis desidiosus amor.
Desidiam puer ille sequi solet, odit agentes,
Da uacuæ menti quo teneatur opus.
Quæritur Aegistus, quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.

Pugnabant alij tardis apud Ilion armis,
Quo tulerat uires Græcia tota suas.
Siue operam bellis uellet dare, nulla gerebat,
Siue foro, uacuum litibus argos erat.
Quod potuit fecit, ne nil ageretur, amauit
Sic uenit ille puer, sic puer ille manet.

DE OCIO

Primo de Ponto.

Cernis ut in duris (& quid boue firmius?) aruis
Fortia taurorum corpora frangat opus.
Quæ nunquam uacuo solita est cessare nouali
Fructibus assiduis laxa senescit humus.
Occidit ad circi siquis certamina semper
Non intermissis cursibus ibit equus.
Firma sit illa licet, soluetur in æquore nauis,
Quæ nunquam liquidis sicca carebit aquis.
Me quoq; debilitat series immensa laborum,
Ante meum tempus cogor, & esse senex.
Ocia corpus alunt, animus quoq; pascitur illis,
Immodicus contra carpit utrumq; labor.
Cernis ut ignauum corrumpant ocia corpus,
Vt capiant uicium ni moueantur aquæ.
Et mihi siquis erat dicendi carminis usus
Deficit, estq; minor factus, inerte situ.
Scilicet est cupidus studiorum quisq; suorum,
Tempus & assueta ponere in arte iuuat.

Saucius euitat pugnam gladiator, & idem
Immemor antiqui uulneris, arma capit.
Nil ſibi cum pelago dicit fore naufragus undis,
Et ducit remos qua modo nauit aqua.
Sic ego conſtanter ſtudium non utile ſeruo
Et repeto, nollem quas coluiſſe, Deas.
Quid potius faciam? non ſum qui ſegnia ducam
Ocia, mors nobis tempus habetur iners.
Nec iuuat in lucem nimio marceſcere uino,
Nec timet incertas alea blanda manus.
Quum dedimus ſomno, quas corpus poſtulat horas,
Quo pœnam uigilans tempora longa modo.

Lucanus

Variam ſemper dant ocia mentem.

Legum conditores, non ſolum ratione dies feſtos inſtituerunt, ut ſcilicet cultui in primis diuino, homines intenti eſſent, religioniq; partem temporis accommodarent, uerumetiam quo ad hilaritatem aliquam animi cogerentur, & aliquod temperamentum, tanquam ſolatium laboribus, interponerent. Non itaq; ſemper in actu continuo eſſe debemus, ſed interdum danda eſt quies animo, & ocio indulgendum, & interponenda grauibus nonnunquam gaudia curis. Hinc luſus, & ioci, atq; ſales reperti, uocum, & ſonorum concentus, hinc tripudia, & choreæ, hinc uenationes, & cœtera omnia, quæ ſatis honeſtè fieri poſſunt, & inuenta ſunt, & in uſum deducta. Sed ne quid nimis. Nũc ad uenationem reuertamur. Maximam profecto animi oblectationem afferre ſolet, pedicas auibus parare, laqueos tendere fiſtula, uel alio quouis modo, ſiue ar

te uolucres decipere, aut uiſco inſidiari, rapatiores autem feras, quæ ſe roſtro, dentibus, & unguibus, atq; cornibus defendunt, in prædam emittere, & uenabulis tranſſodere, huc, atq; illuc alacri equo curſitare, clamoribus in aera æditis, tympanis, & tubarum clangore ad certamen uenatores, & moloſſos canes excitare, uictoriam alacri animo expectare, montes, ſaltus, luſtra ferarum, & nemora alta, emiſſis canibus, indagare, ceruos, apros, urſos, damas, capreolos, lepores, cuniculos uenabulis tranſodere, & ad terram ſternere, & prædam partiri. Quatenus etiam corporis, & animi uires refocillentur, licet unicuiq; etiam uiro nobili, in fluuijs, & littore maris cum hamis illaqueare, & retibus decerpere piſces, ſed omnia hæc mediocriter peragenda ſunt, ut nequid nimis, & ne accidat id quo Atheoni Thebano, quem in ceruum ab irata dea Diana tranſſformatum, & ab domeſticis canibus (quos plurimos alebat) morſibus diſcerptum, ideo finxerunt Poetæ, quod omnem eius ſubſtantiam in ſuæ uitæ diſpendium illis alendis abſumpſiſſet, ſeq; ceruo, ideſt beſtiæ cornuto perſimilem feciſſet, quippe quod ſponte ſeuſu rationis orbaſſet. Spectãda eſt igitur unius cuiuſq; rerum ſuarum menſura, & iuxta prouentus, & compendia, unuſquiſq; diſpendia, & ſumptus facere debet, ne ſi plus iuſto opes effundantur, tantum de uita dematur, quantum in uſus non neceſſarios de illis ſubtrahitur. Sic enim canes alere quiſq; debet, ut ſibi non deſit, non uxori, non liberis, non parentibus, non fratribus, non conſanguineis, neq; propinquis, non amicis, neq; ægenis, non deniq; famulis, neq; cæteris, qui ſuas operas impendunt. Iniquum ſatis profecto eſt, nimiumq; crudele, atq; ultimo dignum ſupplicio, hominibus ſubtraxiſſe, qui naturam, & germa-

nitatem nobiscum communem habent, & canibus, cœterisue irrationabilibus dedisse, illudq; ad inutiles beluas alendas superfluum traddere, quod est ad usus humanos necessariũ. Quod sanè qui facit, ab omni se humanitate alienum esse ostendit, & qui dignus sit ex hominum consortio, atq; consuetudine profligari, eiq; omne uitæ subsidium denegari. Adonidem præterea in aprum incautè inuentem, atq; insilientem, eiusq; dentibus discerptum, atq; extinctum, Venus inconsolabiliter fleuit. In cunctis itaq; rebus adhibenda est diligentia, modusq; seruandus, nisi facti pœnitere quis uelit, quoniam

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra, citraq; nescit consistere uirtus.

DE VINO MOERO, TEMETO, *Temulentia, & æbrietate.*

Virgil.

Nec Veneris, nec tu uini capiaris amore,
Vno namq; modo uina, Venusq; nocent.
Vt Venus eneruat uires, sic copia Bacchi,
Et tentant gressus, debilitantq; pedes.
Multos cæcus Amor cogit secreta fateri
Archanum demens detegit æbrietas.
Bellum sæpe petit ferus exitiale Cupido,
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma uocat.
Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello,
Et Iaphitas bello perdis Iache graui.

Deniq; quum mentes hominum furiarit uterq;,
Et pudor, & probitas, & metus omnis abest.
Compedibus Venerem uinclis constringe Lyeum,
Ne te muneribus lædat uterq; suis.
Vina sitim sedant, natis Venus alma creandis
Seruiat, hos fines transiliisse nocet.

Ouid.

Nec somno tutum est posita succumbere mensa,
Per somnos fieri multa pudenda solent.

6. Fast.

Nec mora conuiuæ ualido titubantia uino
Membra mouent, dubij stantq;, labantq; pedes.
At nos securæ reddamus tempora mensæ,
Venit post multos una serena dies.
Vinaq; quum bibulas sparsere Cupidinis alas
Permanet, & capto stat grauis ille loco.
Ille quidem pennas uelociter excutit alas,
Sed tamen aspergi pectus amore nocet.

3. de Arte

Aptius est, decet atq; magis potare puellas,
Cum Veneris puero non male Bacche facis.
Hoc quoq; ꝙ patiens caput est animusq;, pedesq;
Constent, nec quæ sint singula bina uident.
Turpe iacens mulier multo madefacta Lyeo,
Digna est concubitus quoslibet illa pati.

2. de Art.

Aut nulla ebrietas, aut tanta sit quae tibi curas
Eripiat, siqua est inter utrunq; nocet.
Nutritur uento, uento restinguitur ignis,
Lenis alit flammas, grandior aura necat.

Tibull.

Ille liquor docuit uoces inflectere cantu,
Mouit & ad certos nescia membra modos.
Bacchus & Agricolae magno confecta labore
Pectora, tristiciae dissoluenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura cuspide pulsa sonent.

Propert.

Ah pereat quicunq; meracas repperit uuas,
Corrupitq; bonas nectare primus aquas.
Icare cecropijs merito iugulate colonis,
Pampineus nosti quam sit amarus odor.
Tu quoq; o Euricion uino Centaure peristi,
Nec non ismario tu Polipheme mœro.
Vino forma perit, uino corrumpitur aetas,
Vino saepe suum nescit Amica uirum.

Iuuen. Sat. 3.

Aebrius, ac petulans, qui nullum forte corodit,
Dat pœnas, noctem patitur lugentis amicum.
Pelide, cubat in faciem mox deinde supinus,

DE VINO.

2. de Arte.

Vina parant animos, faciuntq; caloribus aptos,
Cura fugit multo diluiturq; mœro.
Tunc ueniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor, & curæ, rugaq; frontis abit.
Tunc aperit mentes, æuo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo.
Hic tu fallaci nimium ne crede lucernæ,
Iudicio formæ noxq;, Venusq; nocent.
Luce Deas, cœloq; Paris spectauit aperto,
Quum dixit Veneri, uincis utramq; Venus.
Nocte latent mendæ, uicioq; ignoscitur omni,
Horaq; formosam quamlibet illa facit.
Consule de gemmis, de tincta muricæ lana,
Consule de facie, corporibusq; diem.

Primo de Arte..

Certa tibi à nobis dabitur mensura bibendi,
Officium præstent mensq;, pedesq; suum.
Iurgia præcipuè uino stimulata, caueto,
Et nimium faciles ad fœra bella manus.
Occidit Euricion stultè data uina bibendo,
Aptior est dulci mensa, mœrumq; ioco.
AEbrietas si uera nocet, si ficta iuuabit,
Fac titubet bleso subdola lingua sono.
Et quidquid dices, faciesúe proteruius æquo,
Credatur nimium causa fuisse mœrum.

DE VINO ET AEBRIETATE

Luc. Gaur. Eps.

Vt taceam, famæ qualem denigrat honorem,
Hæi mihi quantum animis, corporibusq; nocent.
Ingenij exhaurit uires, animiq; uigorem,
Sicq; quod est clari luminis omne rapit.
Corporis eneruat robur, succumq; iuuentæ
Exprimit, ut uites humida prela nouas.
Omne decus uitæ perimit, fugatq; colores,
Laruarum similes uultibus esse facit.
Inde tot erumnæ male sani corporis, inde
Tot lædunt stomachum, tot nocumenta caput.
Inde manus tremulæ, pallor, timor, anxia mentis
Conditio, & nusquam tuta animi requies.

DE VIRTVTE, ET VICIIS.

LITERA PYTHAGORAE.

VIRTVTIS.

VICIORVM.

Virgilij

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ uitæ speciem præferre uidetur.
Nam uia uirtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemq; aditum primum spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in uertice summo.
Molle ostentat iter uia lata, sed ultima meta
Præcipitat captos, uoluitq; per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus uirtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemq;, decusq; parabit.
Ast qui desidiam, luxusq; sequetur inertes,
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis, inopsq; simul, miserabile transiget æuum.

Ouid. I. de Arte.

Est ubi diuersum fama cœlebrata per orbem
Litera, cognosci qua sibi quisq; iubet.

De Carminibus.

Carmina sublimis tunc sunt peritura lucreti,
Exicio terras quum dabit una dies.
Tytirus, & segetes, æneiaq; arma legentur,
Roma triumphati quum caput orbis erit.
Donec erunt ignes, arcusq; Cupidinis, arma,
Discentur numeri culte Tibulle tui.
Gallus & Hesperijs, & Gallus notus in oris,
Et sua cum Gallo nota lycoris erit.
Ergo quum silices, quum dens pacientis aratri
Depereant æuo, carmina morte carent.

Cedant carminibus reges, regumq; triumphi,
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.
Vilia miretur uulgus, mihi flauus Apollo
Pocula castalia plena ministret aqua.
Pascitur in uiuis liuor, post fata quiescit,
Tunc suus ex merito quemq; tuetur honos.
Ergo etiam quum me supremus adduxerit ignis
Viuam, parsq; mei magna superstes erit.

3. de Arte.

Quid petitur sacris nisi tantum fama Poetis,
Hoc uotum nostri summa laboris habet.
Cura ducum fuerant olim, regumq; Poetæ,
Præmiaq; antiqui magna tulere chori.
Sanctaq; maiestas, & erat uenerabile nomen
Vatibus, & largæ sæpe dabantur opes.
Ennius emeruit calabris in montibus hortos
Contiguos pæne Scipio magnæ tuis.
Nunc hederæ sine honore iacent, operataq; doctis
Cura uigil musis nomen inertis habet.
Sed famæ uigilare iuuat, quis nosset Homerum,
Ilias æternum si latuisset opus?
Adde ꝙ insidiæ sacris è uatibus absunt,
Et facit ad mores ars quoq; nostra bonos.
Scilicet ingenium placida mollitur ab arte,
Et studio mores conuenienter eunt.

1. de Amoribus.

Quid mihi liuor edax ignauos obijcis annos?
Ingenijq; uocas carmen inertis opus?
Non me more patrum, dum strenua sustinet ætas,
Præmia miliciæ puluerulenta sequi.
Non me uerbosas leges ediscere, non me
Ingrato uoces prostituisse foro.
Mortale est quod quæris opus, mihi fama perennis
Quæritur, ut toto semper in orbe canar.
Viuet Mæonides, Tenedos dum stabit, & Idæ,
Dum rapidas Simois in mare uoluet aquas.
Nulla Sophlocheo ueniet iactura chothurno,
Cum Sole, & Luna semper Aratus erit.

2. de Amoribus.

Scinduntur uestes, gemmæ franguntur, & aurum,
Carmina quam tribuunt fama perennis erit.

Epist. 8.

At sacri uates, & diuum cura uocamur,
Sunt etiam qui nos numen habere putant.
Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras inijcit illa manus.
Aspice Mæonidem à quo, ceu fonte perenni,
Vatum pierijs ora rigantur aquis.
Hunc quoq; summa dies nigro summersit auerno
Effugiunt auidos carmina sola rogos.
Corpora debentur mæstis exanguia bustis,
Effugiunt structos nomen, honosq;, rogos.

Pascitur in uiuis liuor, post fata quiescit,
Tunc suus ex merito quemq; tuetur honos.

Fastorum 6.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.
Fas mihi præcipuè uultus uidisse deorum,
Vel quia sum Vates, uel quia sacra cano.
Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli,
Sedibus Ethereis spiritus ille uenit.

1. de Ponto.

Credite non census, nec clarum nomen auorum,
Sed probitas magnos, ingeniumq; facit.

4. de Ponto.

Excitat auditor studium, laudataq; uirtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

De sine titulo.

Si tamen è nobis aliquid nisi nomen, & umbra
Restat, in Elysia ualle Tibullus erit.
Carmine sit uiuax uirtus, expersq; sepulchri,
Noticiam seræ posteritatis habet.
Tabida consumit ferrum, lapidemq; uetustas,
Nullaq; res maius tempore robur habet.

3. de Tristibus.

Singula quid referam, nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis, ingenijq; bonis.
Ergo quum patria caream, uobisq;, domoq;,
Raptaq; sint, adimi quæ potuere mihi.

Ingenio tamen ipse meo comitorq;,fruorq;,
Cæsar in hoc potuit iuris habere nihil.
Quilibet hanc sæuo uitam mihi finiat æuo,
Me tamen extincto fama perennis erit.

5.de Trist.

Detineo studijs animum,falloq; labores,
Experior curis & dare uerba meis.
Rara quidem est uirtus, quam non fortuna gubernet,
Quæ maneant stabili quum fugit illa, pede.

Ingenium quondam fuerat præciosius auro,
Ast nunc barbaria est grandis, habere nihil.

4.de Trist.

Gracia Musa tibi,nam tu solatia præbes,
Tu curæ requies,tu medicina uenis.
Tu Dux,& Comes es,tu nos abducis ab istro,
In medioq; mihi das Hœlicone locum.
Tu mihi quod rarum est,uiuo sublime dedisti
Nomen,ab exequijs quod dare fama solet.
Si quid habent igitur uatum præsagia ueri,
Protinus ut moriar non ero terra tuus.

In fine Metamorph.

Iamq; opus exegi, quod nec Iouis ira,nec ignis,
Nec poterit ferrum,nec edax abolere uetustas,
Quum uenit illa dies,quæ nil nisi corporis huius
Ius habet,incerti spacium mihi finiet æui
Parte tamen meliore mei,super alta perennis

Astra ferar, nomenq; erit indelebile nostrum.
Quaq; patet domitis Romana potentia terris
Ore legar populi, perq; omnia secula fama,
Siquid habent ueri uatum præsagia, uiuam.

Ausonij.

Ergo nil quoniam uita est quod amemus in ista,
Nec tamen incassum fas est nos credere natos,
Authorem uitæ si iustum credimus esse,
Vita alia est nobis.

Lucani O sacer, & magnus Vatum labor, omnia fato
Eripis, & populis donas mortalibus æuum.

Siluij Italici.

Ipsa quidem uirtus sibimet pulcherrima merces,
Mecum honor, & laudes, & læto gloria uultu,
Et decus, & niueis uictoria concolor alis.

Claudiani

Ipsa quidem uirtus præcium sibi, solaq; latè
Fortunæ secura nitet, non fascibus ullis
Erigitur, plausuúe petit clarescere uulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitijs animosa suis, immotaq; cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.

Ouidij

Sola quidem uirtus præcium sibi, solaq; nusquam,
Inclita Fortunæ subditur imperio.

Prop. Iam neq; Pyramidum sumptus ad sydera ducti,
Nec domus Aelei cœlum imitata domus.

Nec

Nec Mausolæi Diues fortuna sepulchri
    Mortis ab extrema conditione uacat.
Aut illos flammæ, aut imber subducet honores,
    Armorum aut ictu, pondera uicta ruent.
At non ingenio quæsitum nomen, ab æuo
    Decidet, ingenij stat sine morte decus.

Esopi

Cuncta tenet certè decorat quem plurima uirtus,
    Qui trahitur uicio non erit ille suus.
Omnes uincit opes securam ducere uitam,
    Pauperius nihil est quam miser usus opum.

Si cupis ornari uirtutibus Heliodore,
    Vince animum, & corpus, disce, stude, & uigila.
Ille beatus erit qui se uirtutibus ornat,
    Ast qui se uicijs inquinat ille miser.

In uia uirtuti nulla est uia.

Virtutem statuere dei sudore parandam,
    Sollicitat studium gloria, calcar equum.
Non iacet in molli ueneranda scientia lecto,
    Ipsa sed è magno magna labore uenit.

Marmora Meonij uincunt monimenta libelli,
    Viuitur ingenio, cætera mortis erunt.

Fœlix qui poterit rerum cognoſcere cauſas,
Namq; metus omnes, & inexorabile fatum
Subijciet pedibus, ſtrepitumq; Acherontis auari.

Stat ſua cuiq; dies, breue, & irreparabile tempus
Omnibus eſt uitæ, ſed famam extendere factis
Hoc uirtutis opus.

Sed ritè carpe uiam facilis deſcenſus auerni,
Noctes, atq; dies patet atri ianua ditis,
Sed reuocare gradus, ſuperasq; euadere ad auras
Hoc opus, hic labor eſt, pauci quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera uirtus.

Ardua molimur, ſed nulla niſi ardua uincunt,
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.

Vir bonus eſt quis?

Virgilij

Qui conſulta patrum, qui leges, iuraq; ſeruat
Vir bonus, & ſapiens, qualem uix repperit ullum
Millibus è cunctis hominum, conſultus Apollo,
Iudex ipſe ſui totum ſe explorat ad unguem.
Ille dies, quam longus erit ſub ſydere cancri,
Quantaq; nox tropico ſe porrigit in capricorno
Cogitat, & iuſto trutine ſe examine penſat,
Non prius in lucem declinat lumina ſomnum,

Omnia quam longi deputauerit acta diei,
Quid præter gestum, quid gestum, quid utile, quid non.

Bias Pirenæus.

Que nam summa boni? est mens quæ sibi conscia recti.
Pernicies hominum quæ maxima? solus homo alter.
Quis diues? qui nil cupiet. Quis pauper? auarus.
Que dos matronis pulcherrima? uita pudica.
Que casta est? de qua mentiri fama ueretur.
Quod prudentis opus? quum possit nolle nocere.
Quid stulti proprium? non posse & uelle nocere.

Seneca

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intemeratis fulget honoribus.
Nec ponit, aut sumit secures
Arbitrio popularis auræ.

Nunq; stygias fertur ad umbras
Inclita uirtus, uiuite fortes.
Nec lætheos sæua per amnes
Vos fata trahent, sed quum summas
Exiget horas consumpta dies
Iter ad superos gloria pandit.

Plautus Virtus præcium est optimum.
Virtus omnibus rebus anteit.
Virtus omnia in sese habet.
Omnia adsunt bona,
Quem penes est uirtus.

Boetij

Sed locum uirtus habet inter aſtra,
Vere dum flores ueniunt tepenti,
Et comam ſiluis hiemes recident,
Vel comam ſiluis reuocabit æſtas,
Pomaq; autumno fugiente, cadent.
Nulla te terris rapiet uetuſtas,
Tu comes Phœbo, comes ibis aſtris.
Ante naſcetur ſeges in profundo,
Vel fræctum dulci reſonabit unda,
Ante deſcendet glacialis urſæ
Sydus, & ponto uetito fruetur,
Quam tuas laudes populi quieſcant.

Idem

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere poſſunt
Sydera lumen.
Et mare uoluens
Turbidus auſter,
Miſceat æſtum.
Tu quoq; ſi uis
Lumine claro
Cernere uerum,
Tramite recto
Carpere callem.
Gaudia pelle.
Pelle timorem.
Spemq; fugato.
Nec dolor adſit.
Turbida mens eſt,
Vinctaq; frænis,
Hæc ubi regnant.

De Virtute, & Virtuoso.

Horat. 1. Od.

Integer uitæ, scælerisq; purus
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec uenenatis grauida sagittis,
Fusce pharetra.
Namq; me silua lupus in sabina
Dum meam canto lalagen, & ultra
Terminum curis uagor expeditus,
Fugit inermem.
Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor estiua recreatur aura,
Quod latus mundi nebulæ, malusq;
Iuppiter urget.
Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata,
Dulcè ridentem lalagen amabo
Dulcè loquentem.

Lib. 2. Od. xi.

Nullus argento color est auaris
Abdito terris inimicæ lamnæ
Crispe Salusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Latius regnes auidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & uterq; pœnus
Seruiat uni.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit uenis, & aquosus albo.
Corpore languor.

Iuuenalis.

Tota licet uæteres exornent undiq; ceræ
Atria, nobilitas sola est, atq; unica, Virtus.

Omne animi uicium tanto conspeccius inse
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Ouid. 3. Fast.

Quo quisq; est maior, magis est placabailis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem (quum iacet hostis) habet.

Horat. in epist.

Virtus est medium uiciorum utrinq; reductum.
Virtus est uicium fugere, & sapientia prima
Stultitia caruisse, uides quæ maxima credis
Esse mala, exiguum censum, turpemq; repulsam.
Quanto deuites animi, capitisq; labore,
Ne cures ea quæ stultè miraris, & optas
Discere, & audire, & meliori credere non uis.
Ad summam sapiens uno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex deniq; regum.
Ira furor breuis est, animum rege, qui nisi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catena.

Oderunt peccare boni uirtutis amore.
Oderunt peccare mali formidine penæ.
Tu nihil admittes in te formidine penæ,
Non hominem occidi, non pasces in cruce coruos,
Oderunt hilarem tristes, tristemq; iocosi,
Sedatum celeres, agilem, gnauumq; remissi,
Inter cuncta leges, & perscrutabere doctos,
Qua ratione queas deducere leniter æuum,
Archanum neq; tu scrutaberis ullius unquam.
Commissumq; tegas, & uino tortus, & ira,
Nec tua collaudes studia, aut aliena reprendas.

Luc. Gaur.

Excitat auditor studium, laudataq; uirtus,
Crescit, & immensum gloria calcar habet.
Deniq; non paruas animo dat gloria uires,
Et foecunda facit pectora laudis amor.
Inclita degeneres extollit ad æthera uirtus,
Possundat uicium dedecoratq; uiros.
Est auro, & gemmis præciosior inclita uirtus,
Ingenij siquidem fama perennis erit.
Ardua non scrobibus uirtus latet, euolat eius
Nomen, & ut cœli sydera, lumen habet.

DE FORTVNA.

Ouid. I. de Trist.

Passibus ambiguis Fortuna uolubilis errat,
Et manet in nullo certa, tenaxq; loco.

Sed modo læta manet, uultus modo ſumit acerbos,
Et tantum conſtans in leuitate ſua eſt.
Nos quoq; floruimus, ſed flos fuit ille caducus,
Flammaq; de ſtipula noſtra leuiſq; fuit.

Virgil.

O Fortuna potens, tantum
Iuris atrox quæ uendicas,
Euertisq; bonos, eligis improbos,
Nec ſeruare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus.
Fortuna innocuos cladibus afficit.
Iuſtos illa uiros pauperie grauat.
Indignos eadem diuitijs beat.
Hæc aufert iuuenes, & retinet ſenes,
Iniuſto arbitrio tempora diuidens,
Quod dignis adimit, trãſfert ad impios,
Nec diſcrimen habet, rectaq; iudicat
Inconſtans, fragilis, perfida, lubrica,
Nec quos clarificat perpetuo fouet,
Nec quos deſerit perpetuo premit.

Lucretius

Sunt in Fortunæ qui lapſibus omnia ponãt,
Et nullo credunt mundum rectore moueri,
Nam quũ diſpoſite perquirunt fœdera mũdi,
Præſcriptosq; maris fines, anniq; meatus,
Et lucis, noctisq; uices, tunc omnia rentur
Conſilio firmata Dei, qui lege moueri

Sidera, qui fruges diuerſo tempore naſci,
Qui uariam Phœben alieno iuſſerit igne
Compleri, ſolemq; ſuo, porrexerit undis
Littora, tellurem medio librauerit axe.
Sed quum res hominum tanta caligine uolui
Aſpiciant, lætosq́; diu florere nocentes,
Vexariq; pios, rurſus labefacta recedit
Relligio.

Tales ſunt hominum mentes, quali pater ipſe
Iuppiter auctiferas luſtrauit lumine terras.

Omnis enim per ſe diuum natura neceſſe eſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur
Semota à noſtris rebus, ſeiunctaq́; longè
Iam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nil indiga noſtri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira,

Ouid. I. de Ponto.

Fortuna arbitrijs tempus diſpenſat ubiq;,
Illa rapit iuuenes, ſubſtulit illa ſenes.
Quaq́; ruit, furibunda ruit, totumq; per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis,

4. de Ponto.

Quid facis ah demens? cur ſi Fortuna recedat,
Naufragio lachrimas eripis ipſe tuo?

Hæc Dea non ſtabili (quam ſit læuis) orbe fatetur,
Quæ ſummum dubio ſub pede ſemper habet.

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu quæ ualuere ruunt.
Diuitis audita eſt cui non opulentia Creſi?
Nempe tamen uitam captus ab hoſte tulit.
Ille Syracuſia modo formidatus in urbe,
Vix humili duram reppulit arte famem.
Quid fuerat magno maius? tum ipſe rogauit
Summiſſa fugiens uoce clientis opem.
Cuiq; uiro totus terrarum paruit orbis,
Indigus effectus omnibus ipſe magis.

In Cœno Marius iacuit, cannaq; paluſtri,
Pertulit & tanto multa pudenda uiro.
Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præſens uix habet hora fidem.

Perſtat enim Fortuna tenax, uotisq; malignum
Opponit noſtris inuidioſa pedem.

1. de Triſt.

Scilicet ut fuluum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.
Dum iuuat, & uultu ridet Fortuna ſereno,
Indelibatas cuncta ſequuntur opes.

At ſimul intonuit fugiunt, nec noſcitur ulli
Agminibus comitum qui modo cinctus erat.
Donec eris fœlix multos numerabis amicos,
Tempore ſi fuerint nubila, ſolus eris,
Aſpicis ut ueniant ad candida tecta columbæ,
Aſpiciat nullas ſordida turris aues.
Horrea formicæ ueniunt ad inania nunquam,
Nullus ad ammiſſas ibit amicus opes.
Vtq; comes radios per ſolis euntibus umbra eſt,
Quum latet hic preſſus nubibus, illa fugit.
Mobile ſic ſequitur Fortunæ lumina uulgus,
Quæ ſimul inducta nube teguntur, abit.

3. de Triſtib.

Sis memor humanæ ſortis quæ tollit, eoſdem
Et premit, incertas ipſe uerere uices.
Nempe dat & quodcunq; libet fortuna, rapitq;,
Hyrus & eſt ſubito qui modo Creſus erat.
Singula quid memorem, nil non mortale tenemus
Pectoris exceptis, ingeniiq; bonis.

Idem

Rara quidem eſt uirtus quam non fortuna gubernet,
Quæ maneat ſtabili quum fugit illa pede.

1. de Triſt.

Vilia qui quondam miſeris alimenta negauit,
Nunc mendicato paſcitur ille cibo.

Si numeres anno ſoles, & nubila toto,
Inuenies nitidum ſæpius eſſe diem.

4. de Ponto

Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præſens uix habet hora fidem.

Tibulli

At tu qui lætus nunc es, mea furta caueto,
Verſatur cœleri ſors læuis orbe rota.

Martialis

Fortuna nunquam ſiſtit in eodem ſtatu,
Semper mouetur, uariat, ac mutat uices.

Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum.

Virg. Ecl. ix.

Sors omnia uerſat.

Iuuen.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia, ſed te
Nos facimus Fortuna deam, cœloq; locamus.

Si Fortuna uolet fies de rectore conſul,
Si uolet hæc eadem fies de conſule rector.

Improba nil homini plenè Fortuna miniſtrat,
Et nulli plenum dat Dea Cœca bonum.

Boetij

Dum leuibus male fida bonis fortuna faueret,
Pœnè caput tristis merserat hora meum.
Nunc quia fallacem mutauit nubila uultum,
Protrahit ingratas impia uita moras.
Quid me fœlicem totiens iactastis amici,
Qui cœcidit stabili non erat ille pede.

Claud.

Hos præmit, hos eleuat, hos deijcit, erigit illos,
Cogitat in uarios hominum descendere casus.

Fortuna loquitur.

Samoriensis.

Quidquid agas, quidquid dicas, quidquid patiaris,
Non facit ut detrahas quæ mea dextra trahit.
Sic ego primatum, ueneranda'q; scæptra tenebo,
Et pro uelle meo Mel tibi, Felq; dabo.

De uarietate Fortunæ.

Qui laqueum collo nectabat, repperit aurum,
Thesauriq; loco deposuit laqueum.
At qui condiderat, postquam non repperit aurum,
Aptauit collo quem reperit laqueum.

Thesauro inuento qui limina mortis inibat,
Liquit ouans laqueum, quo periturus erat.
At qui, quod terræ abdiderat, non repperit aurum,
Quem laqueum inuenit, nexuit, & perijt.

Philippi Beroaldi.

Nemo diu rebus confidat, Mine, secundis,
Nemo diu speret prosperiora dari.

Idem

Sic homines fortuna rotat, quodcunq; benigna,
Larga manu dederat, mox inimica rapit.
Ceca, uaga, inconstans, incerta, uolubilis, exlex,
Comis, blanda, potens, trux, uiolenta, rapax.

Idem

Hæc Dea non stabilis, uaria est, & lubrica, & omni
Mobilior uento, mobiliorq; polo.
Hanc pedibus prisci Vates finxere carentem,
Inq; pila stantem, pennigeramq; Deam.
Hos ut mater alit, illos ut sæua nouerca
Exagitat, fouet hos, his inimica nocet.
Hunc amat, ex imoq; ad cœlsa cacumina ducit,
In solioq; locat, conspicuumq; facit.
Ast alium rapit in præceps, qui diuite gaza,
Qui regno fuerat fultus, & imperio.
Improba quanta potes, proh quanta potentia regni
Est Fortuna tui? quantaq; mobilitas?
Quam sit diua tuum numen uenerabile, magni
Eneadæ ostentant, Romulidæq; patres:
Qui te tam multis olim coluere sacellis,
Quam non multa suo templa dedere Ioui.
Maxima barbatam Fortunam Roma colebat,
Quæ dat barbatis gaudia, quosq; fouet.

Fœlix Fortunæ quiſquis memoratur alumnus,
In cuius gremio mollia membra fouet.
At tu cui paulum arriſit Dea cæca, caueto
Ne det fucoſas ſubdola blandicias.

Idem

Cuncta fluunt, res nulla diu durare maligna
Sorte poteſt celerem quæ rotat uſq; rotam.
At ueluti Lunæ facies modo conficit orbem,
Et modo deficiens nocte tacente, ſilet.
Et modo clara micat per nox, modo nulla ſeneſcens
Cernitur, & nunquam quo prius orbe micat.
Sic Fortuna facit, nunc pura, & lucida fulget,
Nunc obſcura latet, nec manet unâ diu.

Pomp. Gaur.

Ad Macrinum de eadem.

Fortunæ mira eſt Macrine, ac ſumma poteſtas,
Parua cito creſcunt, maxima quæq; ruunt.
Deponent tumidas mentes, faſtuſq; ſuperbi,
Aurea poma arbos, flumina mella dabunt.
Nec boreas iuncum poterit maluamq; mouere,
Et rurſus magnas ſternet humi platanos.

De Infœlicitate rerum humanarum.

Idem

Quis queat humanæ tot uitæ incommoda ferre?
Humanæ uitæ quis mala ferre queat?

Si uitam statuas urbanam, iam tibi præbet
Mille domus curas, iurgia mille forum.
Si tu rura colas, circunstant mille labores,
Et pelago tecum mors comitata uenit.
Nulli gratus inops, admota uxore, quietem
Nil speres, uiduo nec potes esse thoro.
Orbus eris sine prole, graues in prole labores
Mente labat iuuenes, debilitate senex.
Nil quoniam superest quod me uixisse iuuabit,
Optandum misero sit mihi posse mori.

Anomij

Dic mihi Fortuna cur non es omnibus una?
Si non mutarer, nunquam Fortuna uocarer.

Luc. Gaur.

Quoscunq; eximios extollit ad æthera uirtus
Inclita, Fortunæ gloria nulla datur.
Virtutis siquidem nomen delere uetustas
Non patitur, quum iam fama perennis eat.
Ast fortunatos siquos Fortuna bearit
Subridet, doctis præposuisse rudes.
Ignari ast nomen momento temporis exit
In nihilum, ueluti Bos, & Asellus iners.

DE INVIDIA.

Virg.

Liuor tabificum malis uenenum
Intactis uorat ossibus medulas,
Et totum bibit artubus cruorem.

Testatur gemitu graues dolores,
Suspirat,gemit,incutitq; dentes.
Sudat frigidus intuens quod odit,
Effudit mala lingua uirus atrum,
Pallor terribilis genas colorat,
Infœlix macies renudat ossa,
Non lux,non cibus est suauis illi,
Nec potus iuuat, aut sapor Lyei,
Nec si pocula Iuppiter propinet,
Atq; hæc porrigat,& ministret Hæbe,
Aut tradat Ganymedes ipse nectar,
Non somnum capit,aut quiescit unquam,
Torquet uiscera carnifex cruentus,
Vesanos tacitos mouet furores.

Ouid.de remed.

Ingenium magni liuor detractat homeri,
Quisquis es ex illo Zoile nomen habes.
Et tua sacrilegæ laniarunt carmina linguæ,
Pertulit huc uictos,quo duce,Troia Deos.

Summa petit liuor, perflant altissima uenti,
Summa petunt dextra fulmina missa Iouis:
Rumpere liuor ædax, magnũ iam nomen habemus,
Maius erit tantum, quo pede cœpit, eat.
Nam uiuat, et studium famæ mihi crescit honore,
Principio cliui noster anhelat equus.

I. Amorum.

Pascitur in uiuis liuor, post fata quiescit,
Tunc suus ex merito quenq; tuetur honos.

Lib. ij. Metam.

Domus Inuidiæ.

Protinus Inuidiæ nigro squalentia tabo
Tecta petit, domus est imis in uallibus antri
Abdita, sole carens, non ulli peruia uento,
Tristis, & ignaui plenissima frigoris, & quæ
Igne uacet semper, caligine semper abundet:
Huc ubi peruenit bello metuenda uirago,
Constitit ante domum (neq; enim succedere tectis
Fas habet) & postes extrema cuspide pulsat.
Concussæ patuere fores; uidet intus edentem
Vipereas carnes uitiorum alimenta suorum.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies: lucent rubigine dentes.
Pectora felle uirent: lingua est suffusa ueneno:
Risus abest; nisi quem uisi fecere dolores:

Nec fruitur ſomno uigilantibus excita curis:
Sed uidet ingratos, intabeſcitq; uidendo
Succeſſus hominum: carpitq;, & carpitur unam:
Suppliciumq; ſuum eſt, quamuis tamen oderit illã.

Mart.

Rumpitur Inuidia quidam cariſſime Iuli,
Quod me Roma legit, rumpitur Inuidia.
Rumpitur Inuidia quod turba ſemper in omni
Monſtramur digito, rumpitur Inuidia.
Rumpitur Inuidia tribuit ꝙ Cæſar uterq;
Ius mihi natorum, rumpitur Inuidia.
Rumpitur Inuidia ꝙ rus mihi dulce ſub urbe eſt,
Paruaq; in urbe domus, rumpitur Inuidia.
Rumpitur Inuidia ꝙ ſum iucundus amicis
Qui conuiua frequens, rumpitur Inuidia.
Rumpitur Inuidia ꝙ amamur quodq; probamur,
Rumpatur quiſquis rumpitur Inuidia.

Horat. in Epiſt.

Inuidia ſiculi non inuenere tyranni
Maius tormentum.

Inuidus alterius macreſcit rebus opimis.

Diram qui contudit hydram
Comperit Inuidiam ſupremo fine domari,
Vrit enim fulgore ſuo qui pergrauat artes
Infra ſe poſitas, extinctus amabitur idem.

Omnibus inuideas liuide, nemo tibi.

Anomij

Si Fortuna tibi placidis arridet ocellis,
Perfer, & occulto gaudia conde sinu.
Nec iactato palàm, lætis Inuidia rebus
It comes, ærumnas, pauperiemq; fugit.
Nullus Thersiti obloquitur, nemo inuidet Hyro,
Ille q͠ ignauus, alter ægenus erat.
Rectè igitur faciens non sis formidinis expers,
Abdita tot fallax retia mundus habet.

Virg. iiij. AEneidos

DE FAMA.

Extemplo Lybiæ magnas it Fama per urbes,
Fama, malum quo non aliud uelocius ullum
Mobilitate uiget, uiresq; acquirit eundo.
Parua metu primo, mox sese attollit in auras,
Ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit,
Illam terra parens ira irritata Deorum,
Extremam (ut perhibent) cœo enceladoq; sororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis,
Mõstrũ horrẽdũ ingẽs, cui quot sũt corpore plumæ,
Tot uigiles oculi subter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidẽ ora sonant, tot subrigit aures,
Noctæ uolat cœli medio, terræq; per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.

Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes,
Tam ficti, paruiq; tenax, quam nuncia ueri.

2. Fast.

Fama manet facti, posito uelamine currunt,
Et memorem famam, qui bene gessit, habet.

4. Fast.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet,
Et nos in uicium credula turba sumus,

Idem xij. Metam.

Domus Famæ.

Orbe locus medio est inter terrasq;, fretumq;,
Cœlestesq; plagas triplicis confinia mundi,
Vnde quod est usq;, quamuis regionibus absit,
Inspicitur, penetratq; cauas uox omnis ad aures,
Fama tenet, summaq; locum sibi legit in arce,
Innumerosq; aditus, ac mille foramina tectis
Addidit, & nullis inclusit limina portis,
Nocte dieq; patet, tota est ex ære sonanti,
Tota fremit, uocesq; refert, iteratq; quod audit,
Nulla quies intus, nullaq; silentia parte,
Nec tamen est clamor, sed paruæ murmura uocis.
Qualia de pelagi (siquis procul audiat) undis
Esse solent, qualemúe sonum, quum Iuppiter atras
Increpuit nubes, extrema tonitrua reddunt,
Atria turba tenet, ueniunt læue uulgus, euntq;,

Mixtaq; cum ueris passim commenta uagantur
Milia rumorum, confusaq; uerba uolutant,
E quibus hi uacuas implent sermonibus aures,
Hi narrata ferunt alio, mensuraq; ficti
Crescit, & auditis aliquid nouus adijcit auctor,
Illic credulitas, illic temerarius error,
Vanaq; lætitia est, consternatiq; timores,
Seditioq; nocens, dubioq; auctore susurri,
Ipsa quid in cœlo rerum, pelagoq; geratur,
Et tellure uidet, totumq; inquirit in orbem.

3.de Ponto

Corpora debentur mœstis exanguia bustis,
Effugiunt structos nomen, honosq; rogos:
Occidit & Thæseus, et qui comitauit Horestem,
Sed tamen in laudes uiuit uterq; suas.

3.de Trist.

Dumq; suis uictrix septem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma, legar.

Propert.lib.iij.

At non ingenio quæsitum nomen ab æuo
Excidet, ingenio stat sine morte decus.

Philo.

Optima facta ducis, operosaq; gloria rerum,
Hæc manet, hæc auidos effugit una rogos.

3. de Trist.

Deniq; non paruas animo dat gloria uires,
Et fœcunda facit pectora, laudis amor.

Propert. lib. 4.

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria uires,
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.

DE IRA.

Ouid. 3. de Arte

Pertinet ad faciem rapidos compescere mores
Candida Pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira, turgescunt sanguine uenæ,
Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.
Vos quoq; si media speculum spectetis in ira,
Cognoscet faciem uix satis ulla suam.

3. de Trist.

Quo quisq; est maior, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni
Pugna suum finem, quum iacet hostis, habet.
At lupus, & turpes instant morientibus ursi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.

Idem

Qui non moderabitur iræ
Infectum uolet esse dolor quod suaserit, & mens,
Dum pœnas odio per uim festinat in ulto,
Ira furor breuis est, animum rege, qui nisi paret,
Imperat, hunc frænis, hunc tu compesce catena.

Ludus enim genuit trepidum certamen, & iram,
Ira truces inimicicias, & funebre bellum.

DE DISCORDIA.

Virg.

Ex quo discordia ciues
Perduxit miseros? en quis consueuimus agros?

Silu. Ital. lib. ix.

Discordia demens
Intrauit cœlos, superosq; ad bella cõegit.

DE BELLO.

Tibull. lib. ij.

Quis furor est atra bellis accersere mortem,
Imminet, & tacito clam uenit illa pede.

Ouid. ij. de Arte

Mars dubius, nec certa Venus, uictiq; resurgunt,
Quosq; neges unquam posse iacere, cadunt.

Lucan. lib. 2.

Quis furor ò ciues quæ tanta licentia ferri,
Gentibus inuisis latium præbere cruorem.

DE SVPERBIA.

Virtutum ingrata comes.

DE TYRANNIDE.

3. de Trist.

Vsibus è docto si quicquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumq; potes prælustria uita,
Sæuum prælustri flumen ab arce uenit,
Nam quamq; soli possint prodesse potentes,
Non prosit potius, si quis obesse potest.

Aesopi

Nil magis horrendum q; flebilis aula Tyranni,
Qua pietas omnis cum ratione perit.
Raptores, famuliq; truces, scælerumq; ministri,
Iniustis dominis impietate placent.

Non amat insontes, sed sontes aula Tyranni,
Quum placet iniusto raptor iniquus hæro.
Sic nocet innocuo nocuus, causamq; nocendi
Inuenit, hi regnant qualibet urbe lupi.

Crede mihi, bene qui latuit, bene uixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.

Ouid. 1. de Arte

DE SPE, ET PRAECIBVS.

Hectora donauit Priamo præce motus Achilles,
Flectitur iratus uoce rogante Deus.
Promittas facito, quid enim promittere lædit?
Pollicitis diues, quilibet esse potest.
Spes tenet in longum, semel est si credita, tempus
Illa quidem fallax, sed tamen apta Dea est.
Et quod non dederis, semper uideare daturus,
Sic dominum sterilis sæpe fefellit ager.
Sic ne perdiderit, non cessat perdere lusor,
Et reuocat cupidas alea sæpe manus.

1. de Ponto

Quamuis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei.
Hæc facit, ut uideat cum terras undiq; nullas
Naufragus in medijs brachia iactet aquis.
Hæc facit ut uiuat fossor, quoq; compede uinctus,
Liberaq; à ferro crura futura putet.
Sæpe aliquem solers medicorum cura relinquit,
Nec spes huic uena deficiente cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem,
Atq; aliquis pendens in cruce uota facit.
Hæc Dea quam multos laqueo sua colla ligantes,
Non est proposita passa perire nece.

Me quoq; conantem gladio finire dolorem
Arguit, iniecta continuitq; manu.

Tibull. Eleg. lib. ij.

Iam mala finissem letho, sed credula uitam
Spes fouet, & melius cras fore, semper ait.
Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina quæ magno fœnore reddat ager.
Spes etiam ualida solatur compede uinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

DE CVPIDINE, ET AMORE.

Cæcus, & alatus, puer, nudus, & pharetratus,
Istis quinq; modis dominus signatur Amoris.

Visus, & alloquium, tactus post oscula factum.

Amorum

Et puer est, & nudus amor, sine sordibus annos;
Et nullas uestes, ut sit apertus, habet.

De Cupidine, & Venere.

Omne olim cœlum (ut fertur) cælum omne ruebat,
Inter se superi dum fera bella gerunt.
Fortis erat Bromius tyrso, Mars ense, tridente
Neptunnus, fortis fulmine dextra Iouis.

At quum uiſus amor fuit in fulgentibus annis,
Nec non accenſa lampade pulchra Venus.
Priuatur tyrſo Bromius, Mars enſe, tridente
Neptunnus, fortis fulmina dextra Iouis.

Prop. lib. ij.

De Cupidine.

Quicunq; ille fuit puerum qui pinxit amorem,
Nonne putas miras hunc habuiſſe manus?
Hic primum uidit ſine ſenſu uiuere amantes,
Et læuibus curis magna perire bona.
Idem non fruſtra uentoſas addidit alas,
Fecit & humano corde uolare Deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
Noſtraq; non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus eſt armata ſagittis,
Et pharetra ex humero gnoſcia utroq; iacet.
Ante ferit quoniam, tuti quàm cernimus hoſtem,
Nec quiſquam ex illo uulnere ſanus abit.

Marull.

Quis puer es? Veneris: tua nomina fare? Cupido:
Ocia ſunt genitor, pocula deliciæ.
Spicula quæ menti tantum læthalia? cæcus?
Quid puer: hæc ætas, & facit illud opus:
Aligero quid membra patent? uolat otior aura
Spiritus, incenſum mens uaga pandit onus.
Quæ formoſa duci præfert tua ſigna? Voluptas.
Hæc mea tela faces, hæc mea caſtra mouet.

Dialogus.

Quis puer hic? Veneris, plenæ quæ causa pharetræ?
Non bene prouisis certa q; arma mouet.
Cur sine ueste Deus? simplex puer odit opertum,
Vnde puer? pueros q; facit esse senes.
Quis pennas humeris dedit? inconstantia: Quare
Nulla Deo frons è? signa inimica fugit.
Quæ sors eripuit lucem? immoderata libido:
Cur macies? uigilis cura, dolorq; facit.
Quis cæcum præit? ebrietas, sopor, otia, luxus:
Qui comites? rixæ, bella, odia, opprobrium.
Qui cœlo dignati? Homines. Quæ causa coëgit,
Mitior autore est credita culpa Deo.
Heu curuum genus, & ueri corda inscia, quo uis
Fasq; scœlus miseri si scœlere abluimus.

Propert.

Pax, dolor, insidiæ, pietas, discordia, luxus,
Iure Satellicij numina nostra colunt.
Quis tibi nunc uideor? mors uiuens, blanda caribdis,
Sic modo fellite ludis Amenus Amor.

Dulcis, Amarus Amor, Pius, Impius, Asper Amenus,
Et præmit, et reprimit, fertq;, refertq; faces.
Infœlix moriar, uiuamq; in amore beatus,
Displiceam, placeam, sæpius ille facit.

Vt det amica, neget, modo rideat, alteret, obdat
Illa fores, reseret, nolit, & illa uelit.
Ergo tuo quoniam nutu, mihi blanda puella est,
Et fera, dicaris æquus iniquus Amor.

Luc. Gau.

Non Amor est aliud q̃; tristis, & ægra uoluptas,
Et nisi cura placens, nil nisi dulce malum.
Gaudia si spectes, ea sunt in Amore pusilla,
Plusquam dulcedo, maior amarities.
Sunt in eo lachrimæ, sunt & sine fine querelæ,
Integra suspicio, continuusq; timor.
Diminuit famam, studijs melioribus obstat,
Exiguo magnas tempore perdit opes.
Risissem siquis quondam, dixisset amabis,
Et tamen hæc nemo tela cauere potest.

Idem

Si me quid sit Amor breubius uis dicere, dicam
Est furor insanus, solicitusq; timor.
Est Amor, & tristem, sine uita, ducere uitam,
Est uri semper, est sine morte mori.
Est Amor insomnes semper producere noctes,
Est & solicitos semper habere dies.

Pomp. Gaur.

Quis furor tanti, rabiesq; morbi,
Quæ lues? quæ uis animum fatigat
Quod malum serpit, uorat & medullas
Dulce uenenum.

En genæ turgent lachrima perenni,
Corpus insomni tenuatur æstu,
Non Ceres uires reficit cadentes,
Nec leuat artus.

Exit in uulnus data plaga latum,
In cicatricem reditura nunquam,
Dic Iò, & lethos age duc triumphos,
Vincis amantem.

Sic ames semper, nec ameris unquam,
Sic ames semper potiare nunquam,
Sic tibi irati Venus, & Cupido
Tristè minentur.

Alma non tanti fuerim Dione,
Parue non tanti fuerim Cupido,
Vt suos quisquis male luctuosos
Oderit annos.

Ille uel durum silicem, uel ipsum
Fert in humanis Adamanta fibris,
Qui potest sicco lachrimas amantum
Cernere uultu.

Me necant luctus miserorum amantum,
Me suis illi iugulant querelis,
Distrahunt me illæ lachrimæ, ac perenni
Strage fatigant.

Sic amet semper, nec ametur unquam,
Sic fleat longum miserandus omni,
Quisquis incautæ timidus puellæ,
Clade triumphat.

Palladij Sorani

Omnia uincit Amor, ſuperum rex mugit in aruis,
Palluit & Titan, omnia uincit Amor.
Omnia uincit Amor, Salamon, & Scipio uicti,
Neuit & Alcydes, omnia uincit Amor.
Omnia uincit Amor, fleuit Neptunnus in undis,
Ilion euerſum eſt, omnia uincit Amor.
Omnia uincit Amor, terras, mare, ſidera, cœlum,
Cœlicolasq; Deos, omnia uincit Amor.
Omnia uincit Amor, rapuit Proſerpina Ditem,
Martem blanda Venus, omnia uincit Amor.
Omnia uincit Amor, uolucres, animalia, piſces,
Omnia uincit Amor, me quoq; uincat Amor.

Ouid. x. Metam.

Vicit Amor, ſupera Deus hic bene notus in ora eſt,
An ſit, et hic dubito, ſed et hic tamẽ auguror eſſe,
Famaq; ſi uæteris non eſt mentita rapinæ,
Vos quoq; uinxit amor qui noctis regna tenetis.

I. Metam.

Filius huic Veneris, figat tuus omnia Phœbe,
Te meus arcus, ait, quantoq; animalia cedunt
Cuncta Deo, tanto minor eſt tua gloria, noſtra.

Certa quidẽ noſtra eſt, noſtra tamen una ſagitta
Certior, in uacuo quæ uulnera pectore fecit,
Inuentum medicina meum eſt, opifexq; per orbem
Dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis,

Hei

Hei mihi ꝙ nullis Amor eſt ſanabilis herbis,
Nec proſunt domino, quæ proſunt omnibus artes.

Prop.lib.3.

Omnes humanos ſanat medicina dolores,
Solus Amor morbi non amat artificem.

2.de Arte

Militiæ ſpecies Amor eſt, diſcedite ſegnes,
Non ſunt hæc timidis ſigna tuenda uiris.
Nox, & hyems, longæq; uiæ, ſcœuiq; labores
Mollibus his caſtris, & dolor omnis ineſt.
Sæpe feres imbrem cœleſti nube ſolutum,
Frigidus in nuda ſæpe iacebis humo.
Quod iuuat exiguũ eſt, plus eſt quod lædit amantes,
Proponant animo multa ferenda ſuo.
Quot lepores in Atho, quot apes paſcuntur in hybla,
Cerula quot baccas Palladis arbor habent.
Littore quot conchæ, tot ſunt in Amore dolores,
Quæ patimur multo ſpicula felle madent.

De Am.lib.i.eleg.ix.

Ad Acticum

Militat omnis amans, & habet ſua caſtra Cupido,
Actice crede mihi, militat omnis amans.
Quæ bello eſt habilis, Veneri quoq; conuenit ætas,
Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amans.
Quos petiere duces annos in milite forti,
Hoc petit in ſocio bella puella uiro.

Peruigilant ambo, terra requiescit uterq;,
Ille fores dominæ seruat, at ille Ducis.
Militis officium longa est uia, mitte puellam
Strenuus exempto fine sequetur amans.
Quis nisi uel miles, uel amans, & frigora noctis,
Et denso mistas perferet imbre niues?
Mittitur infestos alter speculator in hostes,
In riuale oculos alter, ut hoste tenet.
Ille graues urbes, hic duræ limen amicæ
Obsidet, hic portas frangit, at ille fores.
Sæpe soporatos inuadere profuit hostes,
Cedere & armata uulgus inerme manu.
Nempe maritorum somnis utuntur amantes,
Et sua sopitis hostibus arma mouent.
Custodum transire manus, uigilumq; cateruas,
Militis, & miseri est semper amantis opus.
Mars dubius, nec certa Venus, uictiq; resurgunt,
Quosq; neges unquam posse iacere, cadunt.
Ergo desidiam quicunq; uocabit Amorem,
Desinat, ingenij est experientis Amor.
Ipse uides uigilem, nocturnaq; bella gerentem,
Qui non uult fieri desidiosus, amet.

Epist. iij.

Quidquid Amor iussit, non est contemnere tutum,
Regnat, & in dominos ius habet ille Deos.
Viue Deus, posito (siquis mihi dicat) Amore,
Deprecer, usq; adeò dulce puella malum.

Lib. vi. Metam.

Et nihil est quod non effreno captus Amore
Ausit, nec capiunt inclusas pectore flammas.
Non bene conueniunt, nec in una sede morantur
Maiestas, & Amor.

Virg. in Georg.

Omne adeò genus in terris, hominumq; ferarum,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæq; uolucres,
In furias, ignemq; ruunt, amor omnibus idem.

Ouid. lib. 3.

Odero si potero, si non inuitus amabo,
Nec iuga taurus amat, quæ tamen odit habet.

Idem Epist. 1.

Res est soliciti plena timoris amor.

Idem de Arte

Sit procul omne nefas, ut ameris, amabilis esto.

Aurea nunc uerè sunt secula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur Amor.
Mille licet uenias musis comitatus homere,
Si nihil attuleris, ibis homere foras.

De Remed.

Non habet unde suum paupertas pascat Amorem,
Diuitijs alitur luxuriosus Amor.
Multum in Amore fides, multum constantia prodest,
Qui dare multa potest, multa & amare potest.

Pinguis Amor, nimiumq; potens in tedia nobis
Vertitur, & stomacho dulcis ut esca nocet.

Propert.

Errat qui finem uesani quærit Amoris,
Verus Amor nullum nouit habere modum.

Tibull. li. ij. eleg. ult.

Acer Amor fractas utinam tua tela sagittas
Scilicet extinctas, aspiciamq; faces,
Tu miserum torques, tu me mihi dira præcari
Cogis, & insana mente nefanda loqui.

Claud.

Luxuries predulce malum, quæ dedita semper,
Corporis arbitrijs hebetat caligine sensus.
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti,
Nescit Amor priscis cœdere imaginibus.
Quo fugis ah demens, nulla est fuga, scilicet usq;
Ad Tanaim fugias, usq; sequetur Amor.

1. de Fast.

Fastus inest pulchris sequiturq; superbia formam.

De Venere.

Orta salo, suscepta salo, patre ædita cœlo,
Eneadum genitrix hic habito alma Venus.

Anomij

Echo in Thermis Titianis.

Quæ cœlebrat thermas Echo, et ſtagna alta Neronis,
Deludit uoces concaua ſæpe meas.
Sæpe hic Narcyſſum expecto, ſimul illa moratur,
Si queror, hæc queritur, ſi gemo multa, gemit.
Quis nam clamor? amor: quis nã furor? uror: an Echo?
Echo: quæ grauior pena in Amore? moræ.
Expectas Narcyſſum? ipſum: quæ meta morando?
Orando: num ne hæc dicta uorabit? abit.
Adfuerat? fuerat: ne iſthic? hic: quem fugit iſte?
Iſte: etiam me? me: quod malum amare? mare.
Num ueniet? ueniet: quæ ſpes? æs: uincitur auro?
Auro: uictor ero, prodigus æris? eris.
Sunt pueri fragiles? agiles: ui muneris? æris:
Quis docet hæc? Echo: cur benè clamat? amat.

Galli Poetæ

De Mentulæ Laudibus.

Hæc genus humanum, pecudum, uolucrumq;, ferarum,
Et quidquid toto ſpirat in orbe creat.
Hac ſine diuerſi nulla eſt concordia ſexus,
Hac ſine coniugij gracia ſumma perit.
Hæc geminas tanto conſtringit fœdera mentes,
Vnius ut faciat corporis eſſe duos.

Pulchra licet (præcium si desit) fœmina perdit,
Hæc si desuerit, uir quoq; turpis erit.
Hæc si gemma micans rutilum non conterit aurum,
Eternum fallax, mortiferumq; genus.
Tecum pura fides, secretaq; certa loquentur,
O' uere præcium, fructiferumq; bonum.
Cedunt cuncta tibi, quodq; est sublimius ultro,
Cedunt imperijs maxima quæq; tuis.

Qualis decet esse pulchra puella satis.

Formosa hæc cyprieis primum nascatur in oris,
Nam gratis non est aptior ulla iocis.
Sit niueus uultu suffusus sanguine candor,
Pestanas uincunt labra colore rosas.
Os paruum, parium dentes candore lapillum
Exuperent, dulci nectar ab ore fluat.
Emula sideribus radiancia lumina certent,
Frons breuis, & nares gracia multa ferat.
Flaua coma, atq; modis certis nodetur in aurum,
Sustineant lepidum lactea colla caput.
Et solidæ, & paruæ niueo stent pectore mammæ,
Sed quales certa uirginitate decent.
Cætera conficiant laudatæ membra puellæ,
Cura, arte, ingenio, Cypris, Amor, Charites.
Iam scio, nec fallor, talis bene pulchra puella est,
Lucretia ante omnes pulchrior una Deas.

De uicijs mulierum.

At quum Deucalionis aquæ fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas.
Dic mihi quis potuit lectum seruare pudicum?
Quæ Dea cum solo uiuere sola Deo?

Fœmina corpus, opes, animam, uim, lumina, uocem,
Polluit, anihilat, necat, eripit, orbat, acerbat.

Fœmina nulla bona est, quia ter mutatur in hora,
Fœmina fœmineum non benè finit opus.

Virg.
Eya age rumpe moras, uarium, et mutabile semper
Fœmina.

Tibull.
Ah crudele genus, nec fidum Fœmina nomen,
Ah pereat didicit fallere siqua uirum.
Intolerabilius nihil est quàm Fœmina duces.

Nihil est audacius illis
Deprensis, iram, atq; animum à crimine sumunt.

Verba puellarum folijs leuiora caducis,
Irritaq;, ut uisum est, uentus, & unda ferunt.

Ouid.ij.de remed.

De uícíjs puellarum.

Ne ue puellarum lachrimis moueare caueto,
Vt flerent oculos erudiere suos.

3.de Arte.

Quò non ars penetrat, discunt lachrimare puellæ,
Quoq; uolunt plorant tempore, quoq; modo.

Propert.

Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hyberno tàm tremefacta notho.
Quàm cito femineo non constat fœdus in ore,
Siue ea causa grauis, siue ea causa leuis.

Propert.

Sidera non tot habet cœlum, nec flumina pisces,
Quot scelerata gerit fœmina mente dolos.

Ouid.

Fœmina caniciem germanis inficit herbis,
Et melior uero quæritur arte color.
Fœmina procedit densissima crinibus emptis,
Proq; suis alios efficit ære suo.

Catullus

Nulli se dicit mulier mea nubere uelle
Quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat
Dicit, sed mulier cupido quod elicit amanti
Inuento, & rapida scribere oportet aqua.

Mart.

Mart.

Quære diu totam Semproni Rufe per urbem,
Si qua puella negat, nulla puella negat.
Tanquam fas non ſit, tanquam ſit turpe negare,
Tanquam non liceat, nulla puella negat.
Caſta igitur nulla eſt, caſtæ nullæ, quid ergo eſt,
Caſta facit, non dat, non tamen illa negat.

Iuuen. 6. Sat.

Semper habet lites, alternaq; iurgia lectus,
In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo,
Tunc grauis illa uiro, tunc orba & tigride peior,
Quum ſimulat gemitus occulti conſcia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,
Huberibus ſemper lachrimis, ſemperq; paratis
In ſtatione ſua, atq; expectantibus illam,
Quo iubeat manare modo, tu credis amorem?

Si tibi ſimplicitas uxoria, deditus uni
Eſt animus, ſubmitte caput ceruice parata
Ferre iugum, nullam inuenies quæ parcat amanti,
Ardeat ipſa licet tormentis gaudet amantis.

Ouid.

Ah crudele ſcœlus, nec fidum fœmina nomen:
Ah pereat, didicit fallere ſiqua uirum.

Tibull. lib. 1.

Quid tenera tibi coniuge opus est? tua si bona nescis
Seruare, & frustra clauis inest foribus?
Te tenet, absentes alios suspirat amores,
Et simulat subito condoluisse caput.

Quid iuuat ornato procedere uita capillo,
Et tenues Choa ueste mouere sinus?
Naturæq; decus mutato perdere cultu,
Nec sinere in proprijs membra nitere bonis;
Crede mihi non ulla tuæ medicina figuræ est,
Nudus Amor formæ non amat artificem.
Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altaq; mortali deligere astra manu,
Quàm facere ut nostræ nolint peccare puellæ,
Is mos Saturno regna tenente fuit.

Iuuen. 6. Saty.

Credo pudicitiam Saturno rege moratam
In terris, uisamq; diu quum frigida paruas
Præberet spelunca domos, ignemq;, laremq;,
Et pecus, & dominos communi clauderet umbra,
Siluestrem montana thorum quum sterneret uxor
Frondibus, & culmo uicinarumq; ferarum
Pellibus, haud similis tibi Cynthia, nec tibi cuius
Turbauit nitidos extinctus passer ocellos.
Sed potanda ferens infantibus hubera magnis,
Et sæpe horridior glandem ructante marito,

Quippe aliter, Tunc orbe nouo, cœloq; recenti
Viuebant homines, qui rupto robore nati,
Compositiq; luto, nullos habuere parentes,
Multa pudiciciæ uæteris uestigia forsan
Aut aliqua extiterint et sub Ioue, sed Ioue nondũ
Barbato, nondum Græcis iurare paratis
Per caput alterius, quum furta nemo timeret
Caulibus, & pomis, & aperto uiueret horto:
Paulatim deinde ad superos astrea recessit
Hac comite, atq; duæ pariter fugere sorores.
Nulla ne de tantis gregibus tibi digna uidetur
Sit formosa, decens, diues, fœcunda, uetustos
Porticibus disponat auos, intactior omni
Crinibus effusis bellum dirimente sabina;
Rara auis in terris, nigroq; simillima cygno.
Quis ferat uxorem cui constent omnia, malo
Malo uenusinam, quàm te Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis uirtutibus affers
Grande supercilium, et numeras in dote triũphos.

Ouid.

Disce meo exemplo formosis posse carere,
Est uirtus placidis abstinuisse bonis.

Ergo age ne dubita cunctas superare puellas,
Vix erit è multis quæ neget una tibi.
Quæ dant, quæq; negant, gaudẽt tamen esse rogatæ,
Vt iam fallaris tuta repulsa tua est.

1.de Arte

Vere prius uolucres, taceant æstate cicadæ,
Menalius lepori det sua terga canis.
Fœmina quàm iuueni blandè tentata repugnet,
Hæc quoq; quàm poteris credere nolle, uolet.
Vtq; uiro furtiua Venus, sic grata puellis,
Vir malè dissimulat, tectius illa cupit.
Conueniat maribus ne quam nos ante rogemus,
Fœmina iam partes uicta rogantis aget.
Mollibus in pratis admugit fœmina tauro,
Fœmina cornipedi semper adhinnit equo.
Parcior in nobis nec tam furiosa libido est,
Legitimum finem flamma uirilis habet.

Idem

Vt redit, itq; frequens longum formica per agmen,
Granifero solitum dum uehit ore cibum.
Aut apes saltusq; suos, & olencia nactæ,
Pascua per flores, & thyma summa uolant.
Sic ruit in cœlebres cultissima fœmina ludos,
Copia iudicium sæpè morata meum est.
Spectatum ueniunt, ueniunt spectentur ut ipsæ,
Ille locus casti damna pudoris habet.

2.de sine titulo.

Durè uir imposito teneræ custode puellæ,
Nil agis ingenio queq; tuenda suo est.
Siqua mœtu dempto casta est, ea deniq; casta est,
Quæ quia non liceat, non facit, illa facit.

Vt iam seruaris benè corpus, adultera mens est,
Nec custodiri, ni uelit illa, potest.
Nec mentem seruare potes, licet omnia claudas,
Omnibus exclusis, intus adulter erit.
Cui peccare licet, peccat minus, ipsa potestas
Semina nequiciæ languidiora facit.
Nitimur in uetitum semper, cupimusq; negata,
Sic interdictis imminet æger aquis.
Centum fronte oculos, centum ceruice gerebat
Argus, & hos unus sæpe fefellit Amor.
In thalamo Danae saxo, ferroq; perenni,
Quæ fuerat uirgo tradita, mater erat.

Anomij

Nux, Asinus, Mulier, simili sunt lege ligati,
Quod benè nil faciunt unquam, si uerbera cessent.

Mundíciæ placent.

Luc. Gau.

Eluis è manibus sordes, quo gracior usus
Sit mensæ, & placeant fercula sumpta magis.
Lympha lauat carnis sordes, sed crimina purgat,
Clarificatq; animas purior amne fides.

De Speculo.

Hæc tua quæ terso facies iaculatur ab orbe,
Nec nimium placeat, nec tibi displiceat.

Si formosus eris, uicijs non turpior esto,
Sin fueris turpis, pectora pulchra geras.

De Turpitudine.

De Arte

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.
Turpis equus nisi colla iubę fluitancia uelent,
Pluma tegit uolucres, ouibus sua lana decori est,
Barba uiros, hyrtæq; decent in corpore setæ.

De Mundicijs.

Ouid. 1. de Arte

Mundiciæ placeant, fuscentur corpora campo,
Sit bene conueniens, & sine labe toga.
Linguáq; non rigeat, careant rubigine dentes.
Nec uagus in laxa pes tibi pelle natet.
Nec malè deformet rigidos tonsura capillos,
Sit coma, sit docta barba resecta manu.
Et nihil emineant, & sint sine sordibus ungues,
Inq; caua nullus stet tibi nare pilus.
Nec malè odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædat nares uirq; paterq; gregis.
Cætera lasciuæ faciant, concede, puellæ,
Vel siquis malè uir quærit habere uirum.

Candidus in nauta turpis color, equoris unda
Debet & à radijs sideris esse niger.
Turpis & agricolæ, quia uomere semper adunco,
Et grauibus rastris sub Ioue uersat humum.

3. de Arte De formæ cultu

Ordiar à cultu, cultis benè liber ab oris
Prouenit, & cultu stat seges alta solo.
Forma Dei munus, forma quota quæq; superbit,
Pars uestrum tali munere magna caret.
Cura dabit faciem, facies neglecta peribit,
Idaliæ similis sit licet illa Deæ.
Mundicijs capimur, non sint sine lege capilli,
Admotæ formam dantq;, negantq; manus.
Quid si præcipiam ne fuscet inertia dentes,
Oraq; suscepta mane lauentur aqua.
Ista dabunt faciem, sed erunt deformia uisu,
Multaq; quum fiunt turpia, facta placent.
Anulus ut fiat, primo colliditur aurum,
Quas geritis uestes, sordida lana fuit.

De Gloria.

Propert.
Magnum iter aggredior, sed dat mihi gloria uires,
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.

Ouid. 5. de Trist.

Deniq; non paruas animo dat gloria uires,
Et fœcunda facit pectora laudis Amor.
Nominis, & famæ quodam fulgore trahebar,
Dum tulit antennas aura secunda meas.

2. de Arte.

Ardua molimur, sed nulla nisi ardua uincunt,
Difficilis nostra poscitur arte labor.
Eximia est uirtus præstare silencia rebus,
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.
Ingenium mala sæpe mouent, quis crederet unquàm
Aerias hominem carpere posse uias.

2. de Ponto

Artibus ingenuis quæsita est gloria multis,
Sollicitat studium gloria, calcar equum.

Horat.

Nil mortalibus arduum est,
Cœlum ipsum petimus stulticia,
Neq; per nostrum patimur scœlus
Iracunda Iouem ponere fulmina.

De usu, & consuetudine.
Nil assuetudine maius.

6. de Ponto.

Gutta cauat lapidem, consumitur Anulus usu,
Et teritur præssa uomer aduncus humo.

2.de Arte

Ferreus aſſiduo conſumitur Anulus uſu,
Interit aſſidua uomer aduncus humo.
Quid magis eſt durum ſaxo? quid mollius unda?
Dura tamen molli ſaxa cauantur aqua.
Gutta cauat lapidem non bis, ſed ſæpe cadendo.

Lucret.lib.4.

Nonne uides etiam guttas in ſaxa cadentes,
Humoris longo in ſpacio pertundere ſaxa,
Anulus in digito ſubter tenuatur habendo.
Stillicidi caſus lapidem cauat, uncus aratri
Ferreus occulto decreſcit uomer in aruis.

Catonis Mores.

Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, ſeruare modum, finemq; tenere,
Naturamq; ſequi, patriæq; imponere uitam,
Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.
Iuſticiæ cultor, rigidi ſeruator honeſti
In commune bonum, nulloſq; Catonis in actus
Surrexit, partemq; tulit ſibi nata uoluptas.

De Ludo, & Lucro.

Virg.

Sperne lucrum, uexat mentes ueſana libido,
Fraude carete graues, ignari credite doctis.

Irasci uictos nulli placet optime frater,
Lusuri nummos, animos quoq; ponere debent,
Pone malas, quociens ludendo uinceris, iras,
Ludite securi quibus est æs semper in archa;
Siquis habet nummos ueniens, exibit inanis,
Lusori cupido semper grauis exitus instat:
Sancta probis pax est, irasci desine uictus,
Nullus ubiq; potest fœlici ludere dextra.
Inicio furijs ego sum tribus addita quarta,
Plecte truces animos, ut uerè ludere possis,
Ponite mature bellum præcor iraq; cesset.

De Ludo, & Ira.

Horat. in Epist.

Ludus enim genuit trepidum certamen, & iram,
Ira truces inimicicias, & funebre bellum.

Luc. Gau.

Ira parit rixas, rixæ uertuntur in ensem,
Ensis dat uulnus, uulnera sæpe necem.

De Dolore.

1. de Trist.

Exigis ut nulli gemitus tormenta sequantur,
Acceptoq; graui uulnere flere uetas.
Strangulat inclusus dolor, atq; exestuat intus,
Cogitur & uires multiplicare suas.

De Timore, & Audacia.

Virg. 4. Aeneid.

Degeneres animos timor arguit.

Ouid.

Audentes Fortuna iuuat, timidosq; repellit.

Terretur nimio pennæ ſtridore columba,
Vnguibus accipiter ſaucia facta tuis.
Non procul à ſtabulis audet diſcedere ſiqua
Percuſſa eſt auidi dentibus agna lupi.

Vitaret cœlum Phæton, ſi uiueret, & quos
Optauit ſtultè tangere nollet equos.
Dum petit infirmis nimium ſublimia pennis
Icarus, Icarijs nomina fecit aquis.

De Timore

2. de Ponto

Qui rapitur fatis, quid præter fata requirit?
Porrigit ad ſpinas duraq; ſaxa manus.
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales,
Audet in humanos feſſa uenire ſinus.
Nec ſe uicino dubitat committere tecto,
Quæ fugit in feſtos territa cerua canes.

Da ueniam quæſo, nimioq; ignoſce timori,
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.

Qui ſemel eſt leſus fallaci piſcis ab hamo,
    Omnibus unca cibis æra ſubeſſe putat.
Sæpe canem uiſum longe fugit agna lupumq;
    Credit, & ipſa ſuum neſcia uitat opem.
Iam dolor in morem uenit meus, utq; caducis
    Percuſſu crebro ſaxa cauantur aquis.
Sic ego continuo Fortunæ uulneror ictu,
    Vixq; habet in nobis iam noua plaga locum.
Nec magis aſſiduo uomer tenuatur ab uſu,
    Nec magis eſt curuis Appia trita rotis.
Pectore quam mea ſunt ſerie calcata malorum,
    Et nihil inueni quod mihi ferret opem.
Artibus ingenuis quæſita eſt gloria multis,
    Infœlix perij dotibus ipſe meis.

Mart. lib. xi.

Quid ſi me tonſor quum ſtricta nouacula ſupra,
    Tunc libertatem, diuitiasq; roget?
Promiſſum, nec enim rogat illo tempore tonſor,
    Latro rogat, res eſt imperioſa timor.
Si fuerit curua quum tecta nouacula theca,
    Frangam tonſori crura manusq; ſimul,

De Libertate, & Seruitute.

Tibull.

Libertas quoniam nulli iam reſtat amanti,
    Nullus liber erit, ſiquis amare uolet.

Aesopi

Siquis habet quod habere decet, sit lætus habendo,
Alterius non sit, qui suus esse potest.
Ditior est liber mendicus diuite seruo,
Seruus habet nec se, nec sua, liber habet.
Libertas prædulce bonum, bona cætera condit,
Qua nisi condatur, nil sapit esca mihi.
Libertas animi cibus est, & uera uoluptas,
Qua qui diues erit, ditior esse nequit.
Non bene pro toto libertas uenditur auro,
Hoc cœleste bonum præterit orbis opes.

De Somno.

Tibull.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

2. Amorum.

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago,
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Est somnus morti similis (mirabile dictu)
Dulcis, & alta quies, placidæq; simillima morti.
Hei mihi nanq; dies ueniet qua claudere oportet
Lumina, & eternam, ni fallor, ducere noctem.

Infœlix tota quicunq; quiescere nocte
Sustinet, & somnos præmia magna uocat.

Luc. Gau.

Eſt magis infœlix qui nil requieſcere tota
Nocte poteſt, triſtis exul inopsq; ſenex.

Cato.

Somnia ne cures, nam mens humana quod optat
Cum uigilãs ſperat, per ſomnum cernit id ipſum.

Claud.

Omnia quæ ſenſu uoluuntur uota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

Naſo

Venator defeſſa thoro quum membra reponit,
Mens tamen ad ſiluas, & ſua luſtra redit.
Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaq; nocturnis uana cauetur equis.
Gaudet amans furto, permutat nauita merces,
Et uigil elapſas quærit auarus opes.
Blandaq; largitur fruſtra ſitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte ſopor.
Me quoq; muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti
Artibus aſſiduis ſollicitare ſolet.
Namq; poli media ſtellantis in arce uidebar,
Ante pedes ſummi carmina ferre Iouis.

1. de Arte

Nocte fatigatum ſomnus, non cura puellæ
Excipit, & dulci membra quiete leuat.

Cato

Plus uigila ſemper, nec ſomno deditus eſto,
Nam diuturna quies uicijs alimenta miniſtrat.

De Auro, & Diuicijs.

Auſonij

Effigiem Rex Creſe tuam ditiſſime Regum,
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Conſtitit utq; procul ſolito maiore cachinno
Concuſſis dixit, Quid tibi diuiciæ
Nunc proſunt Regum Rex ò ditiſſime; quum ſis
Sic ut ego ſolus, me quoq; pauperior.
Nam quæcunq; habui mecum fero, quum nihil ipſe
E tantis tecum Creſe feras opibus.

Pomp. Gau.

Diogenem Pluto uenientem ad Tartara nouit,
Et Creſum nouit Diogenes Cynicus.
Quem poſtq̃ fuluas captantem uidit arenas,
Dum Stygios aurum credit habere lacus.
Accedens propius, uiliq; inſtratus amictu,
Irridens dictis talibus increpuit.
Maior adhuc ſors Creſe mea eſt, quæcunq; tenebam
Cuncta habeo mecum, tu nihil inquit, habes.

De Diuitijs Elegia.

Pomp. Gau.

Quid mihi diuiciæ? ualeant mortalia uota,
Quæ ſemper magni cauſa fuere mali?

Talia quis demens optarit uelle tenere,
    Quæ domino ſiunt pernicioſa ſuo.
Sat diues quiſquis, diues nec munere paruo
    Contentus, uitam quo tueatur habet.
Ah curuum genus, & ueri corda inſcia, feces
    Terrenas ſummo creditis eſſe loco.
Quam melius Scythicæ gentes quæ talia ſpernunt,
    Quæ ſat habent plauſtris poſſe manere ſuis.
Spectetur uirtus, uirtus ſpectetur ubiq;,
    Cætera in humana condicione manent.
Cætera ſunt hominum uario pendencia caſu,
    Quæ uenit ex factis gloria uera uenit.
Proh pudor, ut nemo ſtudijs incumbat honeſtis,
Vt quærant omnes unde auri copia conſtet.
Iam cuncti ſecum, nemo mihi proximior me.
Ah nimium bruti mortales pectora cæca,
Quid prodeſt uani tot pondera magna metalli,
Tercentum tenuiſſe ſerata clauibus arca?
Non ſic non ſtulti, mentem ſi aduertitis æquam,
Diuiciæ creſcent, nec fiet copia maior,
Diuiciæ creſcent, & fiet copia maior
Si tibi, ſi hoſpitibus, ſi dijs ſua munera ſoluas.
Deniq; ſi gratus ſacros uenerabere Vates.
Sic tibi opes creſcent, ſit fiet copia maior
Non Stygæ, non Acherontæ, nec ulla morte dolebis,
Inclitaq; ad manes imos tua fama ſequetur,
Quam multi dum celſa colunt palacia regum,

Obſcœnoq;

Obſcœnoq; fœno periere, aut ſtramine duro,
Quam multi ære graues patriã dum uiſere pergunt,
Purpureo inſidas complerunt ſanguine ualles:
Sæpe repentina miles à cede peremptus:
Sæpe animam liquidis merſit mercator in undis:
Interijt nemo cui uatum carmina curæ:
Regales æpulas faſtidia ſæpe ſequuntur:
Egregiam Venerem magni plerunq; dolores:
Diuicias ſemper metus acer, & aſpera cœdes:
Aſt autem muſas ſequitur gratiſſima uita.
Eſto celſa colas pictis laquearia tectis,
Eſto ſemper ames, gratoq; fruaris amore,
Poſſideas lati quantumuis iugera campi,
Poſſideas auri quantumuis pondera fului,
Et tandem totus domino tibi pareat orbis,
Quid tum? iamq; animo ſuccedant omnia, quid tum?
Omnem ſtagna tibi tollent acheruſſia mentem
Protinus, adq; imos manes tibi nulla uoluptas:
Quin pocius ueræ lachrimæ, æterniq; dolores,
Quin quin altera mors ubi ſcilicet illa beatus
Liqueris, atq; inter uiles adueneris umbras,
Perpetuoq; tibi uideas in morte dolendum.

Sancti Bernardi.

Si mihi ſint uires, & prædia magna, quid inde?
Auri ſi ſpecies, argenti maſſa, quid inde?
Si mihi ſint nati de regis ſtirpe, quid inde?
Longus ſeruorum mihi ſeruiat ordo, quid inde?

Si doceam socios in qualibet arte, quid inde?
Et rota Fortunæ me tollat ad astra, quid inde?
Et fœlix annos regnauero mille, quid inde?
Tam cito prætereunt hæc una, quid nihil inde?

Petronius Arbiter

Quisquis habet nummos secura nauigat aura,
Fortunamq; suo temperat arbitrio.

Luc. Gau.

Aurum, non uirtus, extollit ad æthera fuluum
Ignaros passim degeneresq; uiros.
Inclita iam uirtus olim, nunc sordet ubiq; &
Dantur opes raro pauperibusq; bonis.
Et quos pulchra Venus concinnat, reddit amicos
Principibus gratos, diuicijsq; beat.

Ausonij

Non est diues opum diues, nec pauper, inopsq;
Infœlix, alio nec magis alter eget.
Diues eget gemmis, cereali munere pauper,
Sic quum egeant ambo, pauper egens minus est.

Virtus, fama, decus, diuina, humanaq; pulchris
Diuitijs parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit fortis, sapiens rex deniq; regum.

Propert.

At nunc desertis cessant sacraria lucis,
Aurum omnes uicta iam pietate colunt.

Auro pulsa fides, auro uenalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Et genus, & uirtus, nisi cum re uilior alga est.

Iuuen.

Haud facilè emergunt, quorum uirtutibus obstat.
Res angusta domi.

Propert. lib. 3.

Ergo solicitæ tu causa pœcunia uitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu uicijs hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.
Fœlix agrestum quondam pacata iuuentus,
Diuiciæ quorum messis, & arbor erant.
At nunc desertis cessant sacraria lucis,
Aurum omnes uicta iam pietate colunt.
Aurea nunc uerè sunt secula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur Amor.
Auro pulsa fides, auro uenalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Cynthia non sequitur fasces, non curat honores,
Semper amatorum ponderat illa siuus.

Ouid.

Crescit Amor nummi quantum ipsa pœcunia crescit,
Et quo sunt potæ plus siciuntur aquæ.

Iuuen.

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumq; fames.

2. de Arte

Carmina laudantur, ſed munera magna petuntur.
Dummodo ſit diues barbarus ille placet.
Aurea nunc uerè ſunt ſecula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Mille licet uenias muſis comitatus homere,
Si nihil attuleris ibis homere foras.

In præcio præcium nunc eſt, dat cenſus honores,
Cenſus amicicias, pauper ubiq; iacet.
Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores,
Inde grauis iudex, inde ſeuerus eques.
At nunc exequet tetricas licet illa ſabinas
Imperat ut capto qui dare multa poteſt.
Me prohibet cuſtos, nec timet illa maritum,
Si dederim tota cedet uterq; domus.

Tempore creuit Amor, qui nunc eſt ſummus habendi,
Vix ultra quo iam progrediatur habet:
Pluris opes nunc ſunt, quam priſci temporis annis,
Dum populus pauper, dum noua Roma fuit:
Dum caſa martigenas capiebat parua quirites,
Et dabat exiguum flaminis ulua thorum
Frondibus ornabant quæ nunc capitolia gemmis,
Paſcebatq; ſuas ipſe ſenator oues.
Nec pudor in ſtipula placidam cœpiſſe quietem,
Nec fœnum capiti ſuppoſuiſſe fuit.

At postquam Fortuna loci caput extulit huius,
Et tetigit summos uertice Roma Deos.
Creuerunt & opes, & opum furiosa libido,
Et quum possideant plurima, plura petunt.
Quærere ut absumant, absumpta requirere certant,
Atq; ipse uicijs sunt alimenta uices.
Sic quibus intumuit suffusa uenter ab unda,
Quo plus sunt potæ, plus sicciuntur aquæ.

2. *de Arte*

Munera, crede mihi, placant Hominesq;, Deosq;,
Placatur donis Iuppiter ipse datis.
Quid faciet sapiens? stultus quoq; munere gaudet,
Ipse quoq; accepto munere mitis erit.

De *sine titulo.*

Quid mihi Fortunæ tantum? quid regna sine usu,
Quid nisi possideat diues auarus opes.
Ingenium quondam fuerat preciosius auro,
At nunc barbaria est grandis, habere nihil.

Donec eris fœlix, multos numerabis amicos,
Tempore si fuerint nubila, solus eris.
Aspicis ut uenient ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas sordida turris aues,
Horrea formicæ ueniunt ad inania nunquam,
Nullus ad amissas ibit amicus opes.
Vtq; comes radijs per solis euntibus umbra est,
Quum latet hic pressus nubibus, illa fugit.

Mobile sic sequitur Fortunæ lumina uulgus,
Quæ simul inducta nube teguntur, abit.

2. de Arte

Non ego diuitibus uenio præceptor amandi,
Nil opus est illi qui dabit arte mea.
Secum habet ingenium qui quum libet accipe dixit
Cœdimus, inuentis plus ualet ipse meis.
Pauperibus uates ego sum, quia pauper amaui:
Quum dare non possem munera, uerba dabam.
Pauper amet cautè, timeat maledicere pauper,
Multaq; diuitibus non patienda ferat.
Pauper erit presto, tibi presto pauper adhibit
Primus, & in tenero fixus erit lateri.
Pauper in angusto fidus comes agmine turbæ,
Subijcietq; manus, efficietq; uiam.
Pauper & occultos furtim deducet amicos,
Vinculaq; de niueo detrahet ille pede.

Mart.

Semper eris pauper si pauper es Emiliane,
Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.

Ouid.

Non habet unde suum paupertas pascat Amorem,
Diuicijs alitur luxuriosius Amor.

Horat. in Epist. 10.

Quem res plus nimio delectauere secundæ

Mutate quatient, ſiquid mirabere pones
Inuitus, fuge magna, licet ſub paupere tecto
Reges, ac Regum uita præcurrere amicos,
Pauper enim non eſt cui rerum ſuppetit uſus:
Si uentri bene, ſi lateri eſt pedibusq; tuis nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Votum Horatij.

Quid ſentire putas? quid credis amice præcari?
Sit mihi quod nunc eſt, etiam minus, ut mihi uiuam
Quod ſupereſt æui, ſiquid ſupereſſe uolunt dij:
Sit bona librorum, & prouiſæ frugis in annum
Copia, ne fluitem dubiæ ſpe pendulus horæ;
Sed ſatis eſt orare Iouem qui donat, & aufert:
Det uitam, det opes, æquum animum mi ipſe parabo.

Lucani

Vſq; adeò ſolus ferrum, mortemq; timere
Auri neſcit Amor, pereunt diſcrimine nullo
Ammiſſel eges, ſed pars uiliſſima rerum
Certamen mouiſtis opes.

Ouid.

At quum regna ſenex cœli Saturnus haberet,
Omne lucrum terris alta præmebat humus.
Aeraq;, & argentum, cumq; auri pondera fului,
Manibus admorat, nullaq; maſſa fuit.

Iuuen.

Sensit Alexander, testa quum uidit in illa
Magnum habitatorem, quanto fœlicior hic quo
Nil caperet, quam qui totum sibi posceret orbem,
Passurus gestis æquanda pericula rebus,
Nullum numen abest, si sit prudentia, sed te
Nos facimus Fortuna Deam, cœloq; locamus.

Horat.

Scilicet uxorem cum dote, fid̄mq;, & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donat,
Ac benè nummatum decorat Suadela, Venusq;.

Horat. in Epist.

Sed quia perpetuus nulli datur usus, & hæres,
Hæredem alterius uelut unda superuenit undam;
Quid uici prosunt, aut horrea, quidue calabris
Saltibus adiecti Lucani, si metit orcus,
Grandia cum paruis non exorabilis auro.

Iuuen.

Sed quo diuicias hæc per tormenta coactas,
Quum furor haud dubius, quū sit manifesta frenesis,
Vt locuplex moriaris egenti uiuere fato.
Interea pleno quum turget sacculus ore,
Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit:
Et tucius hanc optat qui non habet, ergo paratur
Altera uilla tibi, quum rus non sufficit unum:
Vnde habeas quærit nemo, sed opem habere,

Hoc

Hoc monstrant uetulæ pueris poscentibus axam,
Hoc discunt omnes post Alpha, & Bita puellæ.

Propert.

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas,
Nudus ab inferna stulte uehere rate.
Victor cum uictis pariter miscebitur umbris,
Consule cum Mario capte Iugurtha sedes.
Omnibus ur se tibi locuplecior esse uideris,
Paupertatis apex summus auaricia est.
Mens ditem non gaza facit, pauperrimus ille est
Maiores quisquis iugiter optat opes.
Qui minus atq; cupit, plus possidet, illaq; gaza est
Maxima terrarum, concupysse nihil.

Anomij

Auro quid melius? iaspis: Quid iaspide? sensus:
Quid sensu? ratio: Quid racione? nihil.

Luc. Gau.

Est adamas punctum lapidis præciosior auro,
Sed uirtus auro est, atq; adamante prior.

Anomij

Stulte quid insanis? cur frustra quæris honorem:
Et cur uirtutem? curue pudiciciam?
Præmia flagicijs dantur, nullusq; pudicis
Datur honos, meritis nec locus ullus erit.
Quin etiam uicio paret sanctissima uirtus
Cogitur atq; Helenæ cœdere Penelopes.

Q

Lib. 2. Eleg. 3.

Ferrea non Venerem, sed prædam secula laudant,
Præda tamen multis est operata malis.
Præda feras acies cinxit discordibus armis,
Hinc cruor, hinc cœdes, mors propiorq; uenit.
Præda uago iussit geminare pericula ponto,
Bellica cum dubijs rostra dedit ratibus.
Prædator cupit immensos obsidere campos,
Vt multo innumeram iugere pascat ouem.
Heu heu diuitibus uideo gaudere puellas,
Iam uenient prædæ, sed Venus optat opes.

Ad Salustium Crispum.

Horat.

Nullus argento color est auaris
Abdito terris inimicæ lamnæ,
Crispe Salusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Viuitur paruo bene cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec læues somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.
Latius regnes auidum domando
Spiritum, quàm qui Lybiam remotis
Gadibus iungas, & uterq; pœnus
Seruiat uni.

Crescit indulgent sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fuggerit uenis, & aquosus albo
Corpore languor.
Auream siquis mediocritatem
Diligit, tutus caret absoleti,
Sordibus tecti caret inuidendi
Sobrius aula.
Sæpius uentis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq; summum
Fulgura montem.

De Modestia

Ausonij

Fama est fictilibus cenasse Agatoclea regem,
Atq; abacum samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis quum poneret aurea uasis,
Et misceret opes, pauperiemq; simul.
Quærenti causam, respondit Rex ego qui sum
Sicanicæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe quicunq; repentè,
Diues ab exili progrediere loco.

De parsimonia.

Paruula nam exemplo est magni formica laboris,
Ore trahit quodcunq; potest, atq; addit aceruo,

Quem struit haud ignara, ac non incauta futuri,
Quæ simul inuersum contristat aquarius annum,
Non usquam prorepit, & illis utitur ante
Quæsitis paciens, quum te neq; feruidus æstus
Demoueat lucro, neq; hiems: ignis, mare, ferrum
Nil obstet tibi, dum ne sit te dicior alter.
Quid iuuat immensum te argenti pondus, & auri,
Furtim defossa timidum deponere terra?

Aesopi

Siquis habet quod habere decet, sic lætus habendo,
Alterius non sit, qui suus esse potest.

De Parsimonía Antiquorum.

Iuuen. Sat. xi.

Hæc olim nostri iam luxuriosa Senatus
Cœna fuit, curius paruo quæ legerat horto
Ipsa focis breuibus ponebat holuscula, quorum
Squallidus in magna fastidit compede fossor
Sicci terga suis rara pendencia crate:
Moris erat quondam festis seruare diebus,
Et natalicium cognatis ponere lardum,
Accedente noua siquam dabat hostia carne,
Sed uoluptates commendat rarior usus.

De Auarícia, & Auro

Lucan. lib. 3.

Impulit amentes auriq; cupidine cæcos,

Ire ſuper gladios, ſuperq; cadauera patrum,
Et ceſos calcare duces.

De Opibus, & Auro.

Böetius

Quamuis fluente diues auri gurgite,
Non expleturas rogat auarus opes.
Ornetq; Bacchis colla rubri littoris,
Ruraq; centeno ſcindat opima boue.
Nec cura mordax deſerit ſuperſtitem,
Defunctumq; læues non comitantur opes.

Vicia aliorum cernimus.

Tollere feſtucam qui uis de fratris ocello,
Quæ tua nunc claudit lumina tolle trabem.
Quum tua præuideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum uicijs tam cernis acutum?

Spectatur mantica tergo.

De Pace.

Siluius Italicus.

Pax optima rerum,
Quas habere natura dedit.

Ouid.de Arte

Prælia cum Parthis, cum culta pax ſit amica,
Candida pax homines, trux decet ira feras.

Pacis Amor Deus eſt, pacem ueneremur amantes.

De Obſequio.

2.de Arte

Dextera præcipuè capit indulgencia mentes,
Aſperitas odium, ſcæuaq; bella mouet.
Odimus accipitrem quia uiuit ſemper in armis,
Et pauidum ſolitos in pecus ire lupos.
At caret inſidijs hominum quia mitis hirundo eſt,
Quaſq; colat turres Chaonis ales habet.
Eſto procul lites, & amaræ prælia linguæ,
Dulcibus eſt uerbis mollis alendus Amor.
Lite fugant nuptæ uiros, nuptasq; mariti,
Inq; uicem credunt rem ſibi ſemper agi.
Flectitur obſequio curuatus ab arbore ramus,
Franges ſi uires experiare tuas.
Obſequio trannantur aquæ, nec uincere poſſes
Flumina, ſi contra quam rapit unda nates.
Obſequium tygresq; domat, tumidosq; leones,
Ruſtica paulatim taurus aratra ſubit.
Cæde repugnanti cædendo uictor abibis,
Fac modo quas partes illa iubebit, agas.

Arguit arguito, quidquid probat illa, probato,
Quod dicit, dicas quod negat illa, neges.
Riſerit, arride, ſi flerit, flere memento,
Imponat leges uultibus illa tuis.

De Zelotipía.

Propert. lib. 3.

Tu mihi uel ferro pectus, uel perde ueneno,
A domina tantum te modo tolle mea.
Te dominum uitæ, te corporis eſſe licebit,
Te dominum admitto rebus amice meis.
Lecto te ſolum, lecto te depræcor uno,
Riualem poſſum non ego ferre Iouem.
Nullæ ſunt inimicitiæ, niſi amoris acerbæ,
Ipſum me iugula, lænior hoſtis ero.
Poſſum ego in alterius poſitam ſpectare lacerto?
Nec mea dicatur, quæ modo dicta mea eſt?
Omnia uertuntur, certè uertuntur amores,
Vinceris aut uincis, hæc in amore rota eſt.

De Magnanímítate.

Quo quiſq; eſt maior magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem, quum iacet hoſtis, habet.

Ast lupus, & turpes instant morientibus ursi,
Et quæcunq; minor nobilitate fora est.

De Bello, & Auro.

Tibull.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses,
Quàm ferus, & uerè ferreus ille fuit.
Tunc cædes hominum generi sunt prælia natæ,
Tunc breuiter diræ mortis aperta uia est.
At nihil ille miser meruit, nos ad mala tanta
Vertimus in sæuas quod dedit ille feras.
Diuitis hoc uicium est auri, nec bella fuerunt,
Faginus astabat quum siphus ante dapes.
Non arces non uallus erat, somnumq; patebat
Securus uacuas dux gregis inter oues.
Quis furor est atram bellis accersere mortem,
Imminet, & tacito clam uenit illa pede.

Terra malos homines nunc educat.

Luc. Gau.

Sæuior ignarus Vrso est, & Tygride fœta,
Est homini homo Deus, Lupus & crudelior Vrso:
Sæuior estq; homò cunctis animalibus, omni
Ammota pietate homines necat ense cruento
Quamuis insontes: patrem quoq; filius atrox
Strangulat, & frater fratrem ferus, atq; nepotes:
Nullum animal proprij generis furit in sua sæuus

Pignora, neq; ursus ursum, nec dente leonem
Dilacerat leo, nec tygris in tygride sæuit.

Lucan.

Et iam serpentum est maior concordia, parcit
Cognatis maculis similis fera, quando leoni
Fortior eripuit uitam leo? quo nemore unquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tygris agit rapida cum tygride pacem
Perpetuam, sæuis inter se conuenit ursis.
Ast homini fœrrum læthale incude nefanda,
Produxisse parum est, dictu mirabile, sed iam
Aspicimus populos quorum non sufficit iræ
Occidisse homines, sed pectora, brachia, uultum
Crediderint genus esse cibi, quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret? si nunc hæc monstra uideret
Pythagoras.

Contra iniustos Iudices.

Luc. Gau.

Egregiam uerò laudem, & spolia ampla refertis,
Vos quibus officium est iustis dare iura, probisq;,
Qui uirtute nitent, sed fures, atq; profanos,
Ignaros, reprobos, homicidos, atq; lenones
Non pudet audacter sine lege, & sponte tueri,
Non auro, aut præcibus, nec iussu regis iniqui
Frangere iura decet, quod lex hominumq; piumq;,
Nec iubet omnipotens mundi sator, atq; Deorum.

Quid prosit hominibus.

Horat.

Longa quibus facies erit houis, illa memento
Vt ſucci melioris, & ut magis apta rotundis
Sumere, namq; marem cohibent colluſa uitellum.

Ouid.

Houaq; ſumantur, ſumantur humencia mella,
Quaſq; tulit ſolio pinus, acuta nuces.

Zerbus.

Regula Præsbiteri debet pro lege teneri,
Quod bona ſunt houa paruula longa noua.

Hebetancia Venerem.

2. de Remed.

Nec minus erucas aptum eſt uitare ſalaces,
Et quidquid Veneri corpora noſtra parant.
Vtilius ſummas acuentes lumina rutas,
Et quidquid Veneri corpora noſtra parat.
Vina bibant homines, animalia cœtera lymphas,
Abſit ab humano corpore potus aquæ.

De dodra potione.

Auſonij

Dodra ex dodrante eſt, ſic collige, ius, aqua, uinum,
Sal, oleum, panis, mel, piper, herba nouem.
Dodra uocor: Quæ cauſa? nouē ſpecies gero: Quæ sūt?
Ius, aqua, mel, uinum, panis, piper, herba, oleū, ſal.

Veneranda Senectus.

Iuuen. Sat. xiij.

Credebant ſat grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenes uetulo non aſſurrexerit, & ſi
Barbato cuicunq; puer.

5. de Faſt.

Magna fuit capitis quondam reuerencia cani,
Inq; ſuo præcio ruga ſenilis erat.
Verba quis auderet coram ſene digna rubore
Dicere? cenſuram longa ſenecta dabat.

De conditione loci apud getas.

Quid pocius faciam deſertis ſolus in oris?
Quidúe malis alium quærere coner opem?
Siue locum ſpectes, locus eſt inamabilis, & quo
Eſſe poteſt toto triſtius orbe nihil.
Siue homines, uix ſunt homines hoc nomine digni,
Quanq; lupi ſeuæ plus feritatis habent.
Non meruunt leges, ſed cœdit uiribus æquum,
Victaq; pugnaci iura ſub enſe iacent.

5. de Triſt. **Conſuetudo.**

Et pudet, & fateor iam diſſuetudine longa,
Vix ſubeunt ipſi uerba latina mihi.
Adde quod ingenium longa rubigine læſum
Torpet, & eſt multo quam fuit ante minor.

Fertilis aſſiduo ſi non renouatur aratro,
Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager,

3. de Ponto.

Ductus ab armento taurus detractat aratrum,
Subtrahit & duro colla nouella iugo.

2. de Arte.

Quod male fers, aſſueſce feres, bene multa uetuſtas
Leniet, incipiens omnia ſentit amor.
Dum nouus in uiridi coaleſcit cortice ramus,
Concuciat tenerum quelibet aura, cadet.
Mox etiam uentis ſpacio durata reſiſtit,
Firmaq; adoptiuas arbor habebit opes.
Eximit ipſa dies omneis de corpore mendas,
Quodq; fuit uicium deſinet eſſe, mora.

De Arte quam quiſq; nouit.

Horat.

Nauem agere ignarus, nauem timet, abrotanum egro
Non audet, niſi qui didicit, dare quod medicorum eſt
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Ouid. de Arte

Arte citæ, ueloq; rates, remoq; reguntur,
Arte læuis currus, arte regendus Amor.
Scit bene uenator ceruis ubi recia tendas,
Scit bene qua frendens ualle moretur aper.
Aucupibus noti frutices, qui ſuſtinet hamos,
Nouit quæ multo piſce natentur aquæ.

Quiſcꝫ laudat ſuam artem.

1. *Amorum*

Nauita de uentis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles uulnera, paſtor oues.

Plaudite Neptunno nimium qui creditis undis,
Nil mihi cum pelago, me mea terra tenet.
Plaude tuo Marti miles, nos odimus arma,
Pax iuuat, & media pace repertus Amor.
Auguribus Phœbus, Phœbe uenatibus adeſt,
Artifices in te uerte Minerua manus.
Agricolæ Cereri, teneroq́; aſſurgite Baccho,
Pollucem pugiles caſtora placet eques.
Nos tibi blanda Venus, pueriq; potentibus armis
Plaudimus, inceptis annue diua meis.

De Ponto

De Spe.

Sæpe fuit magni res mala cauſa boni.

Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei.

De Anima intellectiua, & eterna, ſed corpore corruptibili.

Lucret. 3. de rerum natura.

Præterea gigni pariter cum corpore, & una
Creſcere ſentimus, pariterq; ſeneſcere mentem,
Nam uelut infirmo pueri, teneroq; uagantur

Corpora, sic animi sequitur sententia tempus:
Inde ubi robustis adoleuit uiribus ætas,
Consilium quoq; maius, & auctior est animi uis:
Post ubi iam ualidis quassatum est uiribus æui
Corpus, & obtusis ceciderunt uiribus arctus:
Claudicat, ingenium delirat, linguaq;, mensq;,
Omnia deficiunt, atq; uno tempore desunt.
Ast tamen id quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cœli stellancia templa receptant.

De Sole.

Luc. Gau.

O' Decus ætherei, lux ò clarissima mundi
Sol hominum, diuumq; parens, tu causa creandi
Omnia, tu ualido nutris quoq; cuncta uigore:
Aetherei princeps tu luminis almus, & auctor
Lucis, & immensi moderator summus olympi.

De Tempore, & Morte.

Ouid.

Ista decens facies longis uiciabitur annis,
Rugaq; in antiqua fronte senilis erit.
Inijcietq; manus formæ cariosa senectus,
Quæ strepitum passu nil faciente uenit.

De facici medica.

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos
Fit minor, & spacio carpitur ipsa suo.

Non ſemper uiolæ, nec ſemper lilia florent,
Et riget ammiſſa ſpina relicta roſa.
Et tibi iam uenient cani formoſa capilli,
Iam uenient rugæ, quæ tibi corpus arent.
Iam meliore animum qui duret, & aſtrue formam,
Solus ad extremos permanet ille rogos.

Certus Amor morum eſt, formam populabitur ætas,
Et placidus rugis uultus aratus erit.
Tempus erit quo uos ſpeculum uidiſſe pigebat,
Et ueniet rugis altera cauſa dolor.
Sufficit & longum probitas perducat in æuum,
Perq; ſuos annos hinc bene pendet Amor.

Mart.

Non bene diſtuleris uideas quod poſſe negari,
Et ſolum hoc dicas quod fuit, eſſe tuum.
Gaudia tu differs, ac non & ſtramina differt
Atropos, atq; omnis ſcribitur hora tibi.
Expectant curæ, catenatiq; labores,
Gaudia non remanent, ſed fugitiua uolant.
Hæc utraq; manu complexuq; aſſere toto,
Sæpe fluunt imo ſic quoq; lapſa ſinu.
Non eſt crede mihi ſapientis dicere uiuam,
Sera nimis uita eſt craſtina, uiue hodie.

Luc. Gau.

De fragili uelox animi fuga corpore, mors eſt
Expectanda magis, quam metuenda uiro.

Corda Deo dabimus, lacrimisq; litabimus illi,
Vult humiles animos, uult pia uota Deus
Inueni portum, spes, & fortuna ualete,
Nil mihi uobiscum est, ludite nunc alios.

Silu. Ital.

Huc aduerte aures, currit mortalibus æuum,
Nec nasci bis posse datur, fugit hora, rapitq;
Tartareus torrens, & secum ferre per umbras,
Siqua animo placuere negat.
Festinat enim decurrere uelox
Flosculus angustæ, miseræq; breuissima uitæ
Pocula, dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas
Poscimus, obrexit non intellecta senectus.

Eleg. 9.

Omnia fert ætas, animum quoq;, sæpe ego longos,
Cantando puerum memini me condere soles.

x. Aeneid.

Stat sua cuiq; dies, breue, & irreparabile tempus
Omnibus est uitæ, sed famam extendere factis
Hoc uirtutis opus.
Olli dura quies, oculos, & ferreus urget
Somnus, in eternam clauduntur lumina noctem.

Persius Volaterr.

Cras hoc fiet idem cras fiet, quid quasi magnum
Nempè diem donas, sed quum lux altera uenit,
Iam cras hesternum consumpsimus, ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum gerit ultra:

Indulge

Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est
Quod uiuis cinis, & manes, & fabula fies.
Viue memor læthi, fugit hora, hoc quod loquor īde est.

Horat. in Od.

Heu heu fugaces, posthume posthume
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Afferet, indomitæq; morti.
Quicunq; terræ munere uescimur
Enauiganda siue reges,
Siue inopes erimus coloni.

Ausonius.

Senescimus effugit ætas.
Obrepsit non intellecta senectus.
Nec reuocare potes qui periere dies.

Pomp. Gaur.

Festinant propere dies,
Ordo en uertitur annus,
Nil uelocius heu tempore labitur,
Non hister citius defluit, aut siler,
Quàm mortis properat dies.
Cunctis horridior malis,
Succedunt dies ordine noctibus,
Succedunt tenebræ solibus, occidit
Quodcunq; obtegitur polis,
Non auro ferus Antritor,

Nec flecti nitidis diuitijs potest,
Quin pandat latritans,
Guttura Cerberus.

Mart. lib. 5.

Cras te uicturum, cras dicis posthume semper.
Dic mihi cras istud posthume quando uenit?
Quam longe cras istud ubi est? aut unde petendum,
Nunquid apud Parthos Armeniosúe lares?
Iam cras istud habet Samij, uel Nestoris annos,
Cras istud quanti dic mihi possit emi.
Cras uiues, hodie iam uiuere, posthume serum est,
Ille sapit quisquis posthume uixit heri.

Singula de nobis anni predantur euntes,
Nam metit orcus.
Grandia cum parius non exorabilis auro.

Tibull. lib. i.

Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus uuas,
Annus agit certa lucida signa uice.
Et si tardus eris, errabis, transiet ætas,
Quàm cito non segnis stat, remeatq; dies.
Quàm cito purpureos deperdit terra colores,
Quàm cito formosas populus alba comas.

Vidi iam iuuenem, premeret quum ſerior ætas,
Mærentem tardos præteriiſſe dies.
Crudeles diui, ſerpens nouus exuit annos,
Formæ non ullam fata dedere moram.
Armauit natura canem, pede, dente, iuuenta,
Hinc læuis, inde uorax, fortis & inde fuit.
Tot bona furatur ſenium, nam robore priuat
Corpus, dente, genas, & læuitate pedes.

Lactantii Firmiani

Tempora diſpenſant uſus, & tempora cultus,
Hæc homines, pecudes, hæc moderantur aues.
Lux eſt, taurus arat: nox eſt, nequieſcit arator,
Liberat emerito, feruida colla boui.
Redditur arboribus florens reuirentibus æſtas,
Ergo non homini (quod fuit ante) redit.
Viuacesq; magis ceruos decet eſſe pauentes?
Si quorum intorua cornua fronte rigent.
Viuere cornices multos dicuntur in annos,
Cur nos anguſta conditione ſumus?

Pacifici Eſculani

Ecce dies qui nunc celeri dilabitur hora
Cras erit, in prima luce renatus erit.
Omnia quum redeant, redditu caret ipſa iuuentus,
Occidit illa ſemel, perpetuoq; iacet.

Ouid. 15. Metam.

Crede mihi nihil eſt toto quod perſtet in orbe

Cuncta fluunt, omnisq; uagans formatur imago:
Ipsa quoq; assiduo labuntur tempora motu;
Non secus ac flumen, neq; enim consistere flumen
Nec læuis hora potest, sed ut unda impellitur unda;
Vrgeturq; eadem ueniens, urgetq; priorem,
Tempora sic fugiunt pariter, pariterq; sequuntur,
Et noua sunt semper, nam quod fuit ante relictum est,
Fitq; quod haud fuerat, momentaq; cuncta nouantur.
Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa uetustas
Omnia destruitis, uiciataq; dentibus æui,
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

x. Metam.

Labitur occultè, fallitq; uolubilis ætas,
Et nihil est annis uelocius.

Heu miseri quam præcipites labencia casus
Sors agitat, quanto uoluuntur fata tumultu.

1. de Arte.

Tempore difficiles ueniunt ad aratra iuuenci,
Tempore lenta pati fræna docentur equi.
Penelopen ipsam perstes modo, tempore uinces,
Capta uides sero, pergama capta tamen.
Sed tamen & tauri ceruix oneratur aratro,
Frænaq; magnanimi dente teruntur equi.

ij.de Arte

Dum uires, anniq; ſinunt tolerate labores,
Iam ueniet tacito curua ſenecta pede.

3.de Arte

Venturæ memores iam nunc eſtote ſenectæ,
Sic nullum uobis tempus abibit iners.
Dum licet & ueros etiam nunc æditis annos
Ludite, eunt anni more fluentis aquæ.
Nec quæ præterijt curſu reuocabitur unda,
Nec quæ præterijt hora redire poteſt.
Vtendum eſt ætate, cito pede labitur ætas,
Nec bona tam ſequitur quam bona prima fuit.
Quàm cito me miſerum laxantur corpora rugis,
Et perit in nitido qui fuit ante color.
Diffugiunt ſubito menſes, labuntur & anni
Præcipiti curſu temporis, orta cadunt.

4.de Triſt.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incuruo colla premenda iugo.
Tempore paret equus lentis animoſus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore pœnorum compeſcitur ira leonum,
Nec feritas animo quæ fuit ante manet.
Quæq; ſui iuſſis obtemperat inda magiſtri
Bellua, ſeruitium tempore uicta ſubit.
Tempus ut extenſis tumeat facit uua racemis,
Vixq; merum capiunt grana quod intus habent.

Tempus, & incanas ſemen producit ariſtas,
Et ne ſint triſti poma ſapore facit.
Hoc dentem tenuat terram renouantis aratri,
Hoc rigidas ſilices hoc adamanta terit.
Hoc etiam ſæuas paulatim mitigat iras,
Hoc minuit luctus, meſtaq; corda leuat.
Cuncta poteſt igitur tacito pede lapſa uetuſtas,
Præterquam curas attenuare meas.

6. Faſt.

Tempora labuntur, tacitisq; ſeneſcimus annus,
Et fugiunt freno non remorante dies.

1. de ſine titulo

Labiter occulte fallitq; uolubilis ætas,
Et celer admiſſis labitur annus equis.
Quàm cito formoſæ præter uolat aura iuuentæ,
Quàm cito iucundi temporis hora fugit.
Hora fugit, curæ accedunt, morbiq; ſequuntur
Occupat, & tremulum curua ſenecta caput.

Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præſens uix habet hora fidem.
Nulla fides ideo eſt auſtralibus humida nothis,
Nec intermiſſis ut fluat imber aquis.
Nec ſterilis locus ullus ineſt, ut non ſit in illo
Mixta ferè duris utilis herba rubis.

De erumnis senum.

Luc. Gau.

Tempus, auaritia, crines, gula, tussis, & ungues,
Visus hebes, nasi stilla, podagra, rigor.
Meiere nil satis est decies, in qualibet hora,
Occupat, & tremulum curua senecta caput.
Ernia, Garulitas, capitis concussio, gibbus,
Quum decrescat homo, crescere nempe solent.

Idem

Sola hominis quoniam nescit mortem inclita uirtus,
Non ueniunt animæ mortis in arbitrium.
Longa dies marmor solidum consumit, & æra
Tempus edax tenui singula falce metit.
Ast opus hoc nunquam soluet cariosa uetustas,
Nec manibus summi fulmina missa Iouis.

Longa dies ebur nitidum consumit, & aurum,
Tempus enim dura singula falce terit.
Maius opus uirtus quàm non dissoluere possunt
Tempora, nec rauco fulgura pulsa sono.
Videris egregia siquem uirtute, putato
Quemquam inopẽ, aut profugũ regibus esse parẽ.
Splendidior longe est uirtus rutilantibus astris,
Mortales superis quæ facit esse pares.
Qui nescit quo uita modo uolat, audiat horas,
Quam sit uita breuis, nos docet ille sonus.

Prospicite ò ciues quàm sit reuolubile tempus,
Voluitur hæc semper non reditura dies.

Cornelij Galli

Cuncta trahit secum, uertitq; uolubile tempus,
Nec patitur certa currere quemq; uia.
Omnia sunt hominum tenui pendencia filo,
Et subito casu quæ ualuere ruunt.
Ortus cuncta suos repetunt, matresq; requirunt,
Et redit in nihilum quod fuit ante nihil:
Non quæror, heu longi ꝙ totum soluitis anni
Improba naturæ dicere iura nefas.
Deficiunt ualidi longeuo tempore tauri,
Et quondam pulcher, qui modo turpis equus.
Fracta diu rapida compescitur ira leonis,
Lentaq; Per senium Caspia tygris erit.
Ipsa etiam ueniens consumit saxa uetustas,
Et nullum est quod non tempore cedat opus.
Iam nihil est totum quod uiximus, omnia secum
Tempus preteriens, horaq; summa trahit.
Fœlix qui poterit tranquillam ducere uitam,
Et lætos stabili claudere fine dies.

Pomp. Gau. **Dialogus.**

Cuius opus? quondam Lysippi: Dic mihi, quis tu?
Tempus: Quidnám opere est tibi? cuncta domo.
Cur tam summa tenes? propero super omnia uelox:
Cur celeres plantæ? me læuis aura uehit.

Cur

Cur tenuem tua dextra tenet tonsoria falces?
Omnia nostra secans radit acuta manus.
Cur tibi tam longi pendent a fronte capilli?
Fronte quidem facilis sum lene posse capi.
Cur tibi posterior pars est a uertice calua?
Posterior nemo prendere me poterit.
Talem me finxit quondam Sitionius hospes,
Et monitorem hoc me uestibulo posuit.
Pulchrum opus artificem laudat, proh Iuppiter oquam,
Debuit hoc pigros sollicitare uiros.

Idem

Heu sortem miserandam hominum, uitamq; pigendam,
Quàm misera nati conditione sumus.
Non ita maurus equus, non & leuis aura fauoni,
Non ita per noctem somnia uisa breuem.
Quam cito formosæ præter uolat aura iuuentæ,
Quam cito iucundi temporis hora fugit.
Hora fugit, curæ accedunt, morbiq; secuntur
Occupat, & tremulum curua senecta caput.
Stulti mortales, lugemus morte peremptos,
Lugendum ætatis quum perit ipse decor.

Idem

Quid non longa dies, quid non cariosa uetustas,
Quid non consumunt tempus, & hora frequens,
Heu ubi Palladiæ diuinum nomen Athenæ,
Heu ubi nunc Thebe, nunc ubi Troia manet.

Sed quid ab externis propiora exempla petamus.
Ah ubi nunc mundi maxima Roma caput.
Proh dolor heu tantum furtim sibi uendicat hora,
Heu furtim tantum uendicat hora sibi.
Vt tam summa queat mutare,& uertere cuncta
Audax,& tantum perdere tentet opus.
Non quæror humani quod longa ætate labores,
Mortaliq; ruant menia facta manu.
Diuinas uatum mentes cœlestia dona,
Sæclorum culpa deperijsse quæror.
Pœnitet heu longi noctesq;,diesq; laboris,
Quum uideam tantos deperijsse uiros.
Nitendum tamen est,nam quamuis cuncta peribunt,
Ingenij nunquam fama perire potest.

Spitacus.

Amorum eleg. 6.

Spitacus Eois ales mihi missus ab Indis
Occidit,exequias ferte frequenter aues.
Ite pie uolucres,& plangite pectora pennis,
Et rigido teneras ungue notate genas.
Horrida pro mestis lanietur pluma capillis,
Pro longa resonent carmina uestra tuba.
Non fuit in terris uolucrum simulantior ales,
Reddebas bleso tam bona uerba sono.
Conuenit Egyptus tanti ad miracula uisus,
Et raram uolucres turba salutat ouans.

Vna eſt quæ reparat ſeſe ipſa reſeminat ales,
Aſſyrij Phœnica uocant.

Amorum eleg. II.

Viuit edax uultur, ducitq; per aera gyros
Miluius, & pluuiæ gracculus author aquæ.
Viuit, & armiferæ cornix inuiſa Mineruæ,
Illa quidem ſæclis uix moritura nouem.
Occidit illa loquax humanæ uocis imago
Pſitacus, extremo munus ab orbe datum.
Optima prima fere manibus rapiuntur auaris,
Implentur numeris deteriora ſuis.
Colle ſub Elyſio nigra nemus ilice frondet,
Velaq; perpetuo gramine terra uiret.
Siqua fides dubijs, uolucrum locus ille piarum
Dicitur, obſcenæ quo prohibentur aues
Illic incurru latæ paſcuntur olores,
Et uiuax Phœnix unica ſemper auis.
Explicat ipſa ſuas ales Iunonia pennas,
Oſcula dat Cupido blanda columba mari.
Pſitacus hac inter nemorali ſede receptus,
Conuertit uolucres in ſua uota pias.

De erumnis ſenum.

Corn. Galli

Emula cur ceſſas finem properare uetuſtas?
Cur & in hoc feſſo corpore tarda ſedes?

Solue præcor miserum tali de carcere uitam,
Mors est iam requies, uiuere pœna mihi.
Non sum qui fueram, peryt pars maxima nostri,
Hoc quoq; quod superest languor, et horror habet.
Quin etiam uirtus fuluo preciosior auro,
Per quam præclarum plus micat inegnium.
Exultat læuitate puer, grauitate senectus,
Inter utrumq; manens stat iuuenile decus.
Cuncta trahit secum uertitq; uolubile tempus,
Nec patitur certa currere quemq; uia.
Dulcè mori miseris, sed mors optata recedit,
Et quum tristis erit precipitata uenit.
Iam minor auditus, gustus minor, ipsa minora
Lumina, uix tactu noscere certa queo.
Nullus dulcis odor nulla est mihi grata uoluptas,
Sensibus expertem quis superesse putet?
En lethea meam subeunt obliuia mentem,
Nec confusa sui iam meminisse potest.
Illaq; me species quondam dilecta reliquit,
Et uideor formæ mortuus esse meæ.
Pro niueo rutiloq; prior nunc inficit ora
Pallor, & exanguis, funereusq; color.
Quondam ridentes oculi nunc fonte perenni,
Deplangunt pœnas nocte, dieq; suas.
Iam pauor est uidisse senem nec credere possis,
Hunc hominem humana qui ratione caret.

Si libros repeto, duplex se littera findit,
    Largior occurrit pagina nota mihi.
Iam subeunt morbi subeunt discrimina mille,
    Iam dulces epulæ, deliciæq; nocent.
Cogimur a gratis animum suspendere rebus,
    Atq; ut uiuamus uiuere desinimus.
Et iam medudum cui nulla aduersa nocebant,
    Ipsa quibus regimur nunc alimenta grauant.
Quid mihi diuiciæ quarum si dempseris usum,
    Quamuis largus opum, semper egenus ero.
Efficior custos rerum magis ipse meorum,
    Conseruans alijs quæ nocuere mihi.
Stat dubius, tremulusq; senex, semperq; malorum,
    Credulus, & stultus quæ facit ipse timet.
Laudat præteritos, præsentes despicit annos,
    Hoc tantum rectum quod sapit ipse putat.
Se solum doctum se iudicat esse peritum,
    Et quod sit sapiens desipit ipse magis.
Deficit auditor non deficit ipse loquendo,
    O sola fortes garrulitate senes.
Labitur ex humeros demisso corpore uestis,
    Quoq; breuis fuerat iam modo longa mihi est.
Nec cœlum spectare licet, sed prona senectus,
    Terram à qua genita est & reditura uidet.
Fitq; tripes prorsus quadrupes, ut paruulus infans,
    Et per sordentem flebile serpit humum.

Ortus cuncta suos repetunt, matremq; requirunt,
Et redit in nihilum quod fuit ante nihil.
Suscipe me genitrix nati miserere laborum,
Membra uelis gremio fessa fouere tuo.

Senectus.

Iuuen.

O quam continuis, & quantis longa senectus
Plena malis, deformem, & tetrum ante omnia uultũ,
Dissimilemq; sui deformem pro cute pellem,
Pendentesq; genas, & tales aspice rugas,
In uetula quales iam scalpit symia buccas.

Morbi senibus adueniunt.

Ille humero, hic ibus, hic coxas debilis ambos
Perdidit, hic oculos & luscis inuidet, huius
Pallida labra cibum accipiunt digitis alienis:
Od omni membrorum damno maior demencia, quæ nec
Nomina seruorum, nec uultum agnoscit amici,
Cum quo præterita iacuit nocte, nec illos
Quos genuit, nec quos eduxit stultus alumnos.

Horat.

Immortalia, ne speres monet annus, & almum.
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephiris, uer præterit æstas.
Interitura simul.

Pomifice Autumnus fruges effuderit, & mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ
Nos ubi decidimus.
Quo pius Aeneas, quo Tullus diues, & Anchus,
Puluis, & umbra sumus.
Quis scit an adijciant hodiernæ crastina uitæ
Tempora dij superi?

De Morte.

Ouid. 4. de Ponto.

Ludificat uitam spes longa, nec exhibet ulli
Quicquam homini, ut speres, mors inopina uetat.

3. de fine tit.

Scilicet omne sacrum mors importuna prophanat,
Omnibus obscuras inijcit illa manus.

3. de Ponto.

Corpora debentur mestis exanguia bustis,
Effugiunt structos nomen, honosq; rogos.
Occidit & Thæseus, & qui comitauit horestem,
Sed tamen in laudes uiuit uterq; suas.

4. de Ponto.

Tabida consumit lapides, ferrumq; uetustas,
Scripta ferunt annos.

1. de Trist.

Non lethum timeo, genus est miserabile lethi,
Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Est aliquid fatoq; suo ferroq; cadentem,
In solida moriens ponere corpus humo.
Et mandare suis aliqua, & sperare sepulchrum,
Et non æquoreis piscibus esse cibum.

Ouid.4.de Trist.
Vna tamen spes est, quæ me solatur in istis,
Hæc fore morte mea, non diuturna mala
Ah scælus, ah facinus, properas quid flere uiator?
Non licet hic uitæ de breuitate queri.
Tristius & letho, lethi genus, horrida uultus
Abstulit, & tenero sedet in ore lues.

Consolatio ad Liuiam de morte Drusi.

1.de Ponto
Fata manent omneis, omnes expectat auarus
Portitor, & turbæ uix satis una ratis.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
Omnia sub leges mors uocat atra suas.
Supprime iam lachrimas, non est reuocabilis istis,
Quem semel umbrifera nauita lintre tulit.
Hectora tot fratres, tot destleuere sorores.
Et pater, & coniux, Astyanasq; puer.
Et longeua parens, tamen ille redemptus ad ignes,
Nullaq; per Stygias umbra renauit aquas.
Nam rigidum ius est, & ineuitabile mortis,
Stant rata non ulla fila tenenda manu,

3. de Amorib.

Te quoq; Virgilio comitem non æqua Tibulle,
Mors iuuenem campos misit ad Helisios.
Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras iniјcit illa manus.
At sacri Vates, & Diuum cura uocamur,
Sunt etiam qui nos numen habere putant.
Aspice Meonidem, à quo ceu fonte perenni,
Vatum pierijs ora rigantur aquis,
Hunc quoq; summa dies nigro submersit Auerno,
Effugiunt auidos carmina sola rogos.

Quum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso
Sollicitor nullos esse, putare Deos.
Viue pius, moriere pius, cole sacra colentem,
Mors tamen à templis in caua busta trahet.
Carminibus confide bonis, iacet ecce Tibullus,
Vix manet è toto parua quod urna capit.
Tene sacer Vates flammæ rapuere rogales?
Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa Deorum
Vrere, quæ tantum substinuere nefas.
Si tamen e nobis aliquid nisi nomeu, & umbra
Restat, in Elysia ualle Tibullus erit.

Tibull. eleg. 7.

Hunc cecinere diem parcæ fatalia nentes
Stamina, non ullo dissoluenda Deo.
Interea dum fata sinunt iungamus Amores,
Iam ueniet tenebris mors adoperta caput.

Eleg. x.

Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
Imminet, & tacito clam uenit illa pede.
Non seges est infra, nec uinea culta, sed audax
Cerberus, & stygiæ nauita puppis aquæ.
Illic percussisq; genis, ustoq; capillo,
Errat ad obscuras pallida turba lacus.

Corn. Galli

Omnibus est eadem læthi uia non tamen unus,
Exitus est cunctis exitijq; modus.
Hac pueri, atq; senes pariter iuuenesq; feruntur,
Hac par diuitibus, pauper egenus erit.
Ergo quod adstrictum est, quodq; est euitabile nulli
Festino gradu uincere prestat iter.

In obitu Mœcenatis.

Lact. Firm.

Irreligata ratis nunquam defessa carina,
It redit in uastos semper onusta lacus.
Illa rapit iuuenes prima florente iuuenta,
Non oblita rapit, sed tamen illa senes.

Marmora Mæonij uincunt monimenta libelli,
Viuitur ingenio cætera mortis erunt.

Prop.lib.ij.

Dum nos fata sinunt, oculos saciemus amore,
Nox tibi longa uenit, nec reditura dies.
Ac ueluti folia arentes liquere corollas,
Quæ passim calatis strata natare uides.
Sic nobis qui nunc magnum speramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

Idem

At uos incertam mortales funeris horam
Queritis, & qua sit mors aditura uia.
Queritis, & cœlo Phœnicum inuenta sereno,
Quæ sit Stella homini commoda quæq; mala.
Vna ratis fati nostros portabit amores,
Cerula ad infernos uelificata lacus.
Nec forma eternum, aut cuiq; est fortuna perennis
Longius, aut propius mors sua quemq; manet.

Lib.3

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas,
Nudus ab inferna stultè uehere rate.
Victor cum uictis pariter miscebitur hostis,
Consule cum Mario capte Iugurtha sedes.
Lydus dulichio nondistat Cresus ab hyro,
Optima mors parca quæ uenit apta die.
Omnia post obitum fingit maiora uetustas,
Maius ab exequijs nomen in ora uenit.

At non ingenio quæsitum nomen, ab æuo
Decidet, ingenio stat sine morte decus.
Sunt aliquid manes, læthum non omnia finit,
Lucidaq; euictos effugit umbra rogos.

Propert. lib. 3.

Quid genus, aut uirtus, aut optima profuit ulli
Mater, & amplexam Cesaris esse thoros.
Huc etenim, huc omnes, huc primus, & ultimus ordo
Est mala, sed cunctis ista terenda uia est.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla,
Scandenda est torui publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, & ære
Mors tamen inclusum protrahet inde caput.
Nirea non facies, non uis exemit Achillem,
Cresum, aut pactoli quas parit humor opes.

Lib. 4.

Desine Paule meum lachrimis urgere sepulchrum,
Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant Adamantæ uiæ.
Te licet orantem fuscæ Deus audiat aulæ,
Nempe tuas lachrimas littora surda bibent.

Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus, in eternam clauduntur lumina noctem.
Ortus cuncta suos repetunt, matremq; requirunt,
Et redit in nihilum, quod fuit ante nihil.

Quid ualet hic mundus? quid gloria? quidúe triumphi?
Post miserum fumus, puluis, & umbra sumus.

Quid sumus, heu miseri, nisi puluis, fumus, & umbra,
Nostra breuis paruo tempore uita uolat.

Luc. Gau.

Puluis, & umbra sumus, puluis nihil est nisi fumus.
Sed nihil est fumus, nos nihil ergo sumus.
Hora fugit, celeri properat mors improba passu,
Et tegitur cœlo quidquid acerba rapit.

Idem

Omnia prætereunt, quæ Phœbes contegit orbis,
Quo magis ascendit summuns, ad ima ruit.
Ecce sumus puluis, sumus ecce miserrima tellus,
Et nostri fugiunt, ut læuis aura, dies.
Languemus, medio ut fœnum quod scinditur æstu,
Vt rosa Gaurano languet adempta iugo.
Obruimur morbis, & succedente senecta,
Et mala tantillos, undiq; multa premunt.
Soluimur ut nebulæ, surgens ut in aera fumus,
Et ueluti solui sole pruina solet.
Carpimur ut stipulæ rapido carpuntur ab igne
Nec nisi uiuendo somnus, & umbra sumus.
Vnde igitur faustus uenit? unde superbia nobis
Quos fatum, præter tot mala, triste rapit.

Luc. Gau.

Sunt aliquid manes, lethum non omnia claudit,
Inclita nam uirtus effugit una rogos.
Iuppiter hoc ſtatuit, fatis ſuadentibus, ut mens
Ad ſuperos repetat, quæq; ſed orta cadant.

Pomp. Gau.

Omnia debentur morti, mors omnia ſoluit,
Omnia mors uincit, omnia mortis erunt.
Nil ueri iſtud habet, neſcit mortem inclita uirtus,
In mortis uirtus non uenit arbitrium.

Incerti Autoris

Eſt mihi uita breuis, longum ſpes uendicat æuum
Amputat extremus cuncta, ſed ille dies.
Nudus humi exceptus terris, & nudus abibo,
Quidúe aurum, aut gemmæ pectora noſtra iuuant?
Præſtiterunt alij hæc nobis, reddamus ac illis
Qui iam ſuccedent, ergo uiator eram.

Luc. Gau.

Aurum quid prodeſt homini? quid gloria uires?
Pallida mors dira ſingula falce metit.
Nil aurum, nil pompa iuuat, nil ſanguis Auorum
Excipe uirtutem, cætera mortis erunt.

Aurelij Auguſt.

Omnia tranſibunt, nos ibimus, ibitis, ibunt,
Chari, non chari conditione pari.

Alta palacia, ſumma prudentia, gloria mundi
Non potuere mihi tollere, poſſe mori.
Quid ualet argentum? quid annis uiuere centum?
Poſt miſerum ſumis, puluis, & umbra ſumus.
Non ſuper humanis rebus ſpem ponite ueſtram,
Sperandum eſt ſoli uiuere poſſe Deo.
In mundo ſpes nulla boni, ſpes nulla ſalutis,
Sola ſalus ſeruire Deo, ſunt cœtera fraudes.

In morte Ioannis Medices.

Pomp. Gau.
Mors ſuperat fatum, fatis ne credite poſſint
Mutari? uariat ſtamina quæq; ſoror.
Non eſt fixa dies uitæ, non terminus ullus,
Nullaq; ſub certo fœdere ſigna manent.
Cuncta regunt ſubiti caſus mortalia, morti
Quiſq; poteſt iuuenis cedere, quiſq; ſenex.
Nam qui tam ſubita cecidit nunc morte Ioannes,
Debuerat fati uiuere lege diu.
Diues enim, largus, clemens, hylarisq;, piusq;,
Et probus, & ualido corpore, fortis erat.
Sidera decepit, paruo nam tempore ſanus,
Infirmus, uiuus, mortuus, atq; fuit.
Omnia mors ſoluit, nec morti obſiſtere quemq;
Fata ſinunt, fatis credite, uita nihil.

Lucan. lib. 9.
Sortilegis egeant dubij, ſemperq; futuris

Casibus ancipites, me non oracula certum,
Sed mors certa facit, pauido fortiq; cadendum est.

Idem

Mors ultima pena est,
Non metuenda uiris.

Siluius Italicus

Huc aduerte aures, currit mortalibus euum,
Nec nasci bis posse datur, fugit hora, rapitq;
Tartareus torrens, & secum ferre per umbras
Siqua animo placuere negat.

Claudianus lib. ij.

Sub tua purpurei uenient uestigia reges
Deposito luxu turba cum paupere mixti
Omnia mors æquat.

Miramur perijsse homines, monumenta fatescunt,
Mors etiam saxis, nominibusq; uenit.
Intellecta adeò paucis mors optima rerum,
Ipse iubet mortis te meminisse Deus.

Catulli

Soles occidere, & redire possunt
Nobis cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua una dormienda,

Mart. lib. 2.

Expectant curæ, catenatiq; labores
Gaudia non remanent, sed fugitiua uolant.

Hæc utraq; manu complexuq; aſſere toto,
Sæpe fluunt imo ſic quoq; lapſa ſinu.
Non eſt,crede mihi,ſapientis dicere uiuam,
Sera nimis uita eſt craſtina,uiue hodie.

Ipſe iubet mortis te meminiſſe Deus.

Idem lib.4.

Nullo fata loco poſſis excludere,quum mors
Venerit, in medio tibure ſardinia eſt.

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit,obſeruant quem ſtatuere diem.
Diuitior criſpo,traſea conſtantior ipſo,
Lautior & nitido,ſis meliorúe licet.
Nil adijcit penſo Lacheſis,fuſoq; ſororum
Explicat,& ſemper de tribus una negat.

Cloto cholum baiulat, Lacheſis net, Atropos occat.

Epicuri

O miſeras hominum mentes,o pectora ceca,
Qualibus in tenebris uitæ,quantisq; periclis
Degitur hoc æui quodcunq; eſt,non ne uidetis
Nil aliud niſi naturam latrare,niſi utq;
Corpore ſeiuncto dolor abſit,mensq; fruatur
Iucundo ſenſu,cura ſemota,metuq;.

Maphei Vegij

Heu miſerum,quam præcipites labentia caſus

Sæcla agitant, quanto uoluuutur fata tumultu,
Heu mortem inuiſam, quæ ſola ultricibus armis,
Elatos frenas animos, communia toti
Gente ſceptra tenens, eternaq; fœdera ſeruans,
Quæ magnos, paruosq; teris, quæ fortibus æquas
Imbelles, populisq; duces, ſeniumq; iuuentæ
Heu mortem obſcuram, quæ cauſa indigna coëgit
Eripere, atq; meum crudeli uulnere natum
Efficere.

Virg. Copa.

Pone merum, & talos, pereant qui craſtina curant,
Mors aurem uellens uiuite ait, uenio.

Horat. lib. 1. oda 28.

Omnes una manet nox,
Et calcanda ſemel uia lethi,
Mixta ſenum, ac iuuenum denſantur
Funera nullum.
Sæua caput Proſerpina fugit.

Lib. ij. oda xxiiij.

Quicunq; terræ muneræ ueſcimur,
Scilicet omnibus.
Enauiganda ſiue reges,
Siue inopes erimns coloni.
Mors ultima linea rerum eſt.

Lib. 2. Sat. 6.

Neq; ulla eſt
Aut magno, aut paruo læthi fuga, quo bene terra

Quum licet in rebus iucundus, uiue beatus,
Viue memor quam ſis æui breuis.

Lib. i. ode iiij.

Pallida mors equo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres, o beate Sexti.
Vitæ ſumma breuis ſpem nos uetat inchoare longam,
Iam te premet nox, fabulæq; manes.
Et domus exilis plutonia quo ſimul mearis,
Nec regna uini ſortiere talis.
Nec tenerum lycidam mirabere, quo calet iuuentus
Nunc omnis, & mox uirgines tepebunt.

Horat. in Poet.

Vt ſiluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita uerborum uetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modo nata, uigentq;
Debemur morti nos noſtraq;, ſiue receptus
Terra Neptunnus claſſes aquilonibus arcet,
Seu curſum mutauit iniquum frugibus amnus
Doctus iter melius, mortalia facta peribunt.

Lib. i. Epiſt.

Inter ſpem, curamq; timores inter, & iras,
Omnem crede diem tibi deluxiſſe ſupremum
Grata ſuperueniet quæ non ſperabitur hora.

Lib. ij. Epiſt.

Quid uici proſunt, aut horrea? quidue calabris
Saltibus adiecti Lucani? ſi metit ortus
Grandia cum paruis non exorabilis auro.

I. Metam.

Sed scilicet ultima semper
Expectanda dies homini est, diciq; beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

x. Metam.

Omnia debentur morti, paulumq; morati
Serius, aut citius sedem properamus ad unam.
Tendimus huc omnes, hæc est domus ultima, uos qui
Humani generis longissima regna tenetis,
Hæc quoq; quum iustos natura peregerit annos
Iuris erit uestri.

xv. Metam.

Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa uetustas
Omnia destruitis, uiciataq; dentibus æui
Paulatim lenta consumitis omnia morte,
Hæc quoq; non remanent, quæ nos elementa uocamus.

Idem.

O genus attonitum gelidæ formidine mortis:
Quid Styga? quid tenebras? & nomina uana timetis:
Materiam Vatum, falsiq; pericula mundi,
Corpora siue rogus flamma, seu tabe uetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis,
Morte carent animæ.

Boet. I. de consolat. metro primo

Venit enim properata malis inopina senectus,
Et dolor ætatem iussit inesse suam.

Intempestiui funduntur uertice cani,
Et tremor effeto corpore laxa cutis.
Mors hominum fœlix quæ se nec dulcibus annis
Inserit, & mœstis sæpe uocata uenit.
Heu heu quam surda miseros auertitur aure,
Et flentes oculos claudere sæua negat.

Boet. lib. iiij.

Quid tantos iuuat excitare motus?
Et propria fatum sollicitare manu?
Si mortem petitis propinquat ipsa
Sponte sua, uolucres nec remoratur equos.

Tibull. lib. i.

At scelerata iacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant,
Thesiphoneq; impexa feros pro crinibus angues
Sæuit, huc illuc impia turba fugit.
Nunc niger in porta serpentum cerberus ore
Stridet, & æratas excubat ante fores.
Illic Iunonem tentare Ixionis ausi,
Versantur celeri noxia membra rota.
Porrectusq; nouem Tityus per iugera terræ,
Assiduas atro uiscere pascit aues.
Tantalus est illic, & circum stagna, sed acrem
Iam iam poturi deserit unda sitim.
Et Danai proles, Veneris quæ numina læsit,
In caua letheas dolia portat aquas.

Illic sit quicunq; nouos uiolarit Amores,
Optauit lentas, & mihi milicias.

De campis Elisæis.

Lib. 1. Eleg. 3.

Sed me quod facilis tenero sub semper Amori
Ipsa Venus campos ducet ad Helisios.
Hic Choreæ, cantusq; uigent, passimq; uagantes,
Dulce sonant tenui gucture carmen Aues.
Fert casum non culta seges, totosq; per agros,
Flores odoratis terra benigna rosis.
At iuuenum series teneris immixta puellis
Ludit, & assidue prælia miscet Amor.
Illic est cuicunq; rapax mors uenit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.

Campi Elisæi.

Ouid.

Colle sub Helisio, nigra nemus ilice frondet,
Velaq; perpetuo gramine terra uiret.
Siqua fides dubijs, uolucrum locus ille piarum
Dicitur, obscenæ quo prohibentur aues.
Illic innocui latæ pascuntur olores,
Et uiuax Phœnix unica semper auis.
Explicat, atq; suas ales Iunonia pennas,
Obscula dat Cupido blanda columba mari.

Psitacus has inter nemorali ſede receptus,
Conuertit uolucres in ſua uota pias.

Apud Inferos.

Tibull.i.x.eleg.

Non ſeges eſt illic,non uinea culta,ſed audax
Cerberus,& ſtygiæ nauita puppis aquæ.
Illic percuſſisq; genis,uſtoq; capillo,
Errat ad obſcuros pallida turba lacus.
Nil preſunt lachrimæ,non poſſunt fata moueri
Viximus,hic omnes exitus unus habet.

Pataüij in ſepulchro Antenoris Marmoreo.

Mors,mortis,morti,mortem,ſi morte dediſſet
Inclitus Antenor Patauinæ conditor urbis:
Viueret in terris,aut integer aſtra petiſſet.

De Morte,& Vita.

Vita hominis nihil eſt aliud,quam ſemita quædam
Obſceſſa inſidys innumerabilibus.

Anomij

Eſt ea lex ſane nullis aſcripta ſepultis
Vitalem ut poſſint iam remeare diem.
Atq; anima eſt homini,ſummi data lege tonantis,
Corporis ut nexus ſit fugitura ſemel.

Sed durum est, dices, periisse uirentibus annis,
Omnino paulo post obitura foret.
Non ne uides quanto labantur tempora fluxu,
Atq; suam currat quàm cito quisq; uiam?
Quam seu quis citius, seu lentius ambulet, ut mors
Astitit, ipse diem uix peragrasse putat.
Quid mihi profuerint? paucos si adijceris annos,
Quos ubi finiero, sim peritura tamen.
Nos interuallis distingunt fata, sed æquant
Fine, eadem puero mors uenit, atq; seni.

Marulli Poetæ

Sed neq; fas, neq; iura Deos mortalia tangunt,
Nam rapit arbitrio sors fera cuncta suo.
Et quid prisca fides iuuit, pietasq; pelasgos?
Nempe iacent, nullo damna leuante Deo.
Aspice Bizanti quondam gratissima Diuis
Mœnia, Romanæ nobile gentis opus.
Hæc quoq; iampridem hostili data præda furori est,
Solaq; de tanta gloria gente manet.
Viuit honos, uiuunt benefacta, uirumq; labores,
Sed fugit hostiles fama, decusq; rogos.
Et uixit, siquem uitæ non pœnitet actæ
Laudibus & fama, longa petenda dies.
Nil magis est certum summa mortalibus hora,
Serius, aut citius una terenda uia est.
Quid fraudare iuuat momento temporis æuum?
Sera licet, nunquam est sera futura dies.

Optima

Optima pars uitæ ſupremo ex funere pendet,
Fœlix cuicunq; eſt fas bene poſſe mori.
Quod ſiquis caſusq; hominum, ſeriemq; laborum
Cogitet, & uitæ tot mala damna breuis,
Iam primos mecum ille ortus, non ultima flendi
Tempora, mortali ſentiet eſſe uiro.
Debita naturæ mors eſt, quid pectora palmis
Concutis? inuidiam parce mouere Deis.

De Tempore, & Morte.

At uos incertam mortales funeris horam
Queritis, & qua ſit mors aditura uia.
Queritis & cœlo Phenicum inuenta ſereno
Quæ ſit ſtella homini commoda, quæq; mala.
Solus amans nouit quando periturus, & a qua
Morte, neq; hic boreæ flabra, nec arma timet.

Pomp. Gau. Geophonen.

Feſtinant ualeri dies:
Ordo en uertitur annuus:
Nil uelocius heu tempore labitur:
Non hiſter citius defluit, aut ſiler
Quam mortis properat dies,
Cunctis horridior malis,
Succeduntq; dies ordine noctibus
Succedunt tenebræ ſolibus, occidit
Quodcunq; tegitur polis,

Non auro Ferus antritor
Nec flecti nitidis diuitijs potest,
Quin pandat latritans guctura cerberus,
Quare diuitias paret,
Ac quærat uarias opes,
Agri possideat iugera fertilis
Auratis aluis gaudeat edibus
Lapsurum imperium petat,
Ac fasces nimium breues:
Ingens oceanūm nauiget, ultimos
Europæ, atq; Asiæ preuideat situs:
Sollers uiset & Africam,
Vitæ largus, opum tenax,
Sese in Zephiro credat, & Austro,
Euroq;, & Boreæ flatibus impetum
Formidet tumidi Maris,
Scyllamq;, ac scopulos truces.

Mahometti Epytaphium.

Quem dites Indi, quemq; & timuere Britanni,
Quiq; die medio, quiq; sub axe iacent.
Orbis terror eram Mahomettus, mortuus umbras
Terreo, forte mei uiuit in orbe metus.
Victori Fortuna mihi uictricia semper
Arma dedit, stygias nunc peto uictor aquas.

Turcharum regis Tumulus.

Qui uici innumeros populos, tot regna, tot urbes
Solus & immensi qui timor orbis eram.
Me rapuit quæ cuncta rapit mors improba, sed sum
Virtute excelsa ductus ad astra tamen.
Vici uictores Danaos, domuiq; feroces
Chaoniæ populos, sauromatasq; truces.
Pannonius sensit quantum surgebat in Armis
Vis mea, quæ latio cognita nuper erat.
Mens fuerat bellare Rodon, superare superbam
Italiam, sed non fata dedere modum.
Hei mihi nam rapuit mors aspera queq; sub alto
Pectore condideram, uertit & hora breuis.
Sic hominum faustus, sic eunt & stegmata, sicq;
Imperia, atq; aurum quidquid & orbis habet.

De Pompeo Magno.

Lucanus

Pars mundi mihi nulla uacat, sed tota tenetur
Terra meis quecunq; iacet sub sole trophæis,
Hinc me uictorem gelidas ad Phasidos undas
Arctos habet, calida melius mihi cognitus axis
Aegypto, atq; umbras nusquam flectente Syene,
Occasus mea iura timet, Tethymq; fugacem,
Qui ferit Hesperius post omnia flumina betis,
Me domitus cognouit Arabs, me Marte feroces

Antiochi, notiq; erepto uellere Colchi,
Cappadoces mea ſigna timent, & dedita ſacris
Incerti Iudea Dei, mollesq; Sophenæ,
Armenios, cilicasq; feros, taurosq; ſubegi.

Auſonij

Ergo nil quoniam uita eſt quod amemus in iſta,
Nec tamen incaſſum fas eſt nos credere natos
Auctorem uitæ ſi iuſtum credimus eſſe
Vita alia eſt nobis illic uiuendo paranda,
Cum quo poſt iſtam poſſimus uiuere uitam.

Idem

Seneſcimus effugit ætas.
Obrepſit non intellecta ſenectus.
Miremur periſſe hominem, monumenta fatiſcunt
Mors etiam ſaxis nominibusq; uenit.

Ad Mortem.

Parua loquor quidquid liquidus complectitur aer
Quidquid alit tellus, quidquid maris æquora uerrunt,
Quod fluuij uoluunt, quod nutriuere paludes,
Cuncta tuis pariter cedunt animalia regnis
Lunari ſubiecta globo qui ſeptimus auras
Ambit, ab eternis mortalia ſeparat aſtris
Sub tua purpurei uenient ueſtigia reges
Depoſito luxu turba cum paupere mixti
Omnia mors æquas, tu damnatura nocentes,

Tu requiem latura pijs, te iudice sontes
Improba cogentur uitia commissa fateri.

Iuuen.
Festinat enim decurrere uelox
Flosculus angustæ miseræq; breuissima uitæ
Portio, dum bibimus dum serta unguenta puellas
Poscimus, obrepsit non intellecta senectus.

SANTIS PALONI MVTINENSIS Medici, & Astronomi Epigramma.

Otia delectant si te bone lector honesti,
Vnde animi cultum, diuitiasq; pares.
Gauricus hunc librum misit tibi Crispe Tiberi,
Notus & Eois, notus & Hesperijs.
Socraticos sensus quos prisca obscurius ætas
Condidit, hæc præsul Gauricus edocuit.
Prodit opus magni missum sub nomine Crispi:
Qui Priscum superat religione Numam.
Cui genus, & nomen clarum tua Crispe Salusti
Progenies dederat, perpetuóq; dabit.
Ante obitum uestris succedent singula uotis,
Post cineres Christus regna superna dabit.

IOANNIS BAPTISTAE GABII
Poetæ Veronensis Carmina.

Gauricus ille senex toto celeberrimus orbe,
Cui cœlum & cœli sidera cuncta patent.
Corpore dum terris animo uersatur Olympo,
Diuino & nobis ore futura canit.
Hoc quoq; mortales impartit munere, quo non
Dignius aut ullum maius habere queant.
Nanq; hinc percipient Illi cœlestia quanto
Omnibus humanis sint potiora bonis.

FINIS.

